Biorenklov Matthiae: Memoriale in puncto auxilii et assistentiae contra iniurias et arma cum aliorum tum Sereniss. Electoris Brandeburgici.

# MEMORIALE
*IN*
## PUNCTO AUXILII ET ADSISTENTIÆ
*Contra*
INJURIAS ET ARMA
Cùm aliorum,
Tum SERENISSIMI
# ELECTORIS
# BRANDEBURGICI
Directum
*Ad*
Sac. Rom. Imperii
## COLLEGIUM ELECTORALE
*A*
SACRÆ REGIÆ
## MAJESTATIS SVECIÆ
Consil. Status-Aulico & Ducatuum Brem. & Verd. PRÆSIDE,
*Ut & ejusdem*
Ablegato Extraordinario,
MATTHIA BIORENKLOV,
Hæreditario in Elmenhoff, Wannestadt & Tislingen.

SAcræ Regiæ Majeſtatis Sueciæ infrà ſcripto Ablegato Extraordinario relatum eſt, Legationem Electoralem Brandeburgicam inſtantiſſimè urgere ut Sereniſſimo Electori Brandeburgico, ceu innocenti & in pacem prono, contra invaſionem & arma Sac. Reg. Maj. Sueciæ ſuppetiæ ab Imperio ferantur. Quod ſi dicta Legatio Electoralis tale quid ab inclyto Collegio Electorali flagitare audebit, non dubitat idem Regius Ablegatus, quin Eminentiſſimi & Sereniſſimi Sac. Rom. Imperij Electores præſentes & abſentium Legati in tanti momenti negotio prius in conſultationem ducant & exactè perpendant Sacræ Reg. Maj. Sueciæ literas datas Flensburgi d. 18. proximè præcedentis Junij ad integrum Collegium Electorale, quàm Legationis Brandeburgicæ iniquiſſimo poſtulato locum aliquem dent. Quæ in ſuprà allegatis regijs literis expoſita ſunt de Electoralibus Brandeburgicis fœderibus, conſilijs & hoſtilibus actionibus, confirmabunt Acta publica, quæ intra paucos dies communicabuntur. Cum Sac. Reg. Maj. Sueciæ Anno 1655. deliberanti adhuc de ſuſcipiendo bello contra Poloniam Sereniſſimus Elector Brandeburgicus ultrò societatem armorum contra Poloniam offerret, vix in tantæ ſuæ deſtinationis conſilium Coelectores vocavit. Si etiam Auguſtum Collegium Electorale intellexerit Coelectorem ſuum cum Sac. Reg. Maj. Sueciæ intra unius Anni 1656. curriculum ter, nempe Regiomonti d. 7. Januarij, Mariæburgi d. 15. Junij, & Labavij d. 10. Novembris erexiſſe mutuæ fidei pacta & in his poſtremis (ut adjunctæ copiæ ſub N. 1. & 2. pluribus id docent) ſua ſponte, nexu perpetuo, hæreditario & indiſſolubili ſe Sac. Reg. Majeſt. & Regno Sueciæ devinxiſſe, utique non poterit non in ejus Serenitate Electorali improbare 1. quod inconſulta Sacra Reg. Maj. Sueciæ, in Polonia adhuc præſente, non modò vetitas per pacta correſpondentias, ſed tractatus etiam cum Polonicis Officialibus habuerit; 2. quod cùm ante Annum & poſt diſceſſum Sacræ Reg. Maj. è Boruſſia, poſſet ſalva amicitia cum Svecia, & ſcopum ſuæ Suverenitatis adipiſci, & reconciliari cum Polonia, prolapſa ſit contra Sueciam in fœdera tam offenſiva, quàm defenſiva, cum Polonia, Dania & Auſtria, ut eorum vigore Sac. Reg. Maj. non ſolùm in Polonia & Boruſſia, ſed (quod Sac. Reg. Maj. & Regnum Sueciæ quàm maximè afficit) etiam in Germania læderet. Ejuſmodi præjudicioſis vinculis addita ſunt & probrorū plena verba & hoſtilia

facta

facta contra personas & res Sacr. Reg Majestatis. Liber etiam transitus è Germania in Poloniam, qui Sac. Reg. Majestati jure gentium & vi pactorum cum Ser. Sua Electorali debetur, planè denegatur. Sac. Reg. Majestas, etsi videt conspirasse alios in suam & Regni sui, provinciarumque perniciem, non propterea tamen libidini & cupiditati ulciscendi indulget. Jam octo sunt Menses, ex quo pariter hic & in Borussia pacem ambit. Si adversa pars tanto tempore Sac. Reg. Majestatis oblationem hic aspernatur, & in Borussia congressum impedit, nemo belli sive in Polonia protracti, sive in Germania nascentis culpam posthac conferat in Sac. Reg. Majestatem Sueciæ. Justitia ipsa requirit ut hostes Sueciæ aut pacem admittant, faciantque aut pace ab ijs spretâ queri desinant tum sibi injuriam fieri, cùm Sac. Reg. Majestas, quæ tot modis in Polonia & Imperio lacessitur & in vicem injuriarum pacis media frustrà jam diu offert, in sui & suorum defensionem rationi & juri consentanea remedia paraverit. Ne tamen Germania in hoc rerum Articulo aliquid detrimenti capiat, jam diu quà vocibus, quà scriptis decenter monentur Sac. Rom. Imperij Proceres, utpote quorum quàm maximè interest, ut tot laboribus parta pax conservetur. *Quemadmodum ergò Augustum Collegium Electorale scit Sac. Reg. Majestatem Sueciæ paratam esse ad ea, quæ Instrumentum Pacis requirit & ad pacem omnibus viribus promovendam*; E contra verò adversam partem, inque ea Serenissimum Electorem Brandeburgicum non nisi tricas, moras & injustas querelas nectere uti privato suo commodo inserviat: ita sæpè nominatus Ablegatus Regius sperat fore, ut Collegium Electorale unà cum Principibus & Statibus Imperij præstito auxilio faveat pacificæ Sac. Maj. intentioni & postulata Brandeburgica iniquitatis condemnet. Francofurti ad Mœnum d. 20. Julij, Anno 1658.

Matthias Biörenklow.

Nos

Num. I.

Nos FRIDERICUS WILHELMUS Dei gratia, Marchio Brandeburgensis (tot.tit.) significamus omnibus & singulis quorum scire hoc interest, Quod cum ad Tractatum cum Serenissimo & Potentissimo Principe, Domino CAROLO GUSTAVO, Svecorum, (tot tit.) Domino Cognato, Fratre & Fœderato nostro colendissimo, Plenipotentiarios Nostros Commissarios constituerimus, eosque sufficientibus mandatis instruxerimus, Illi cum Sac. Reg. Maj. Plenipotentiarijs Commissariis congressi, in sequentia Pacta, quorum capita omnia & singula hic inserta sunt, atque hic sequuntur, consenserim.

NOtum testatumque sit universis & singulis quorum interest, aut quomodolibet interesse potest, quod cum post confecta inter Serenissimum & Potentissimum Principem ac Dominum, Dominum CAROLUM GUSTAVUM Dei gratiâ Suecorum, (tot.tit.) & Serenissimum Principem ac Dominum, Dominum FRIDERICUM WILHELMUM Dei gratiâ Marchionem Brandeburgensem (tot. tit.) Pacta non modo Feudalia, quibus Regiomonti die 7. Januarij st.vet. hoc Anno initis, Ser. Sua El. pro se & suis legitimis Successoribus promisit, se velle Ducatum Borussiæ & Principatum Warmiæ à Sacra Reg. Maj. & Regno Sueciæ in Feudum recognoscere; sed insuper etiam certi cujusdam Fœderis Mariæburgi die 15. Junij st.vet. hoc etiam Anno conclusi, utrinque & à Regia, & El. parte, belli pacisque actionibus, singularia & egregia admodum constantis & sinceræ amicitiæ experimenta & documenta edita, & Sacra Reg. Maj. Sueciæ, Serenitasque Sua El. hoc tempore invicem contestatæ sint, publicæ cumprimis rei fore proficuum, atque propterea utrique nunc cordi, firmiterque propositum esse, ut eadem mutua amicitia, indissolubili Fœdere devincta, in Sacræ Reg. Maj. & Ser. Suæ El. Heredes & Successores propagetur & perpetuetur; simul verò Ser. Sua El. proposuerit, & à Sacra Reg. Maj. peculiariter contenderit, ut supradicta pacta feudalia, die VII. Januarii, Regiomonti conclusa, amplius nullam vim & vigorem habeant, sed penitus aboleantur, ipsique Ducatus Borussiæ & Principatus Warmiæ non sint feudum Sacræ Regiæ Majestatis & ejus Successorum Regum & Regni Sueciæ; In locum tamen sæpè nominatorum Pactorum feudalium, mutuum, arctissimum perpetuumque fœdus utrinque ineatur: Et Sacra Regia Majestas consideratis diligenter non modò propinqui sibi sanguine & fœderati, optimeque de se & communi causa meriti Principis intentione, & publico bono

eo bono deditis consilijs & actionibus bellicis & civilibus, sed etiam utilitatibus & emolumentis, quæ & præsenti rei communis statui firmando, & posteritati rectè consulendæ indè emergere poterunt, si scil. Ser. Sua El. ob supradicta omnia, Princeps summus & Suverenus, quo ad Ducatum Borussiæ & Principatum Warmiæ sit, & arctissimo propterea fœdere cum Sacra Reg. Maj. & ejusdem Successoribus Regibus & Regno Sueciæ jungatur, animo ideo promtissimo expressura speciale quoddam amicitiæ testimonium, quo Ser. Suam El. Ejusque inclutam stirpem complectitur, & sibi eam magis magisque devincire nunc cupit, in abolitionem sæpè dictorum pactorum feudalium, & surrogationem arctissimi & perpetui fœderis condescendit, inque eum finem utrinque postea eo usque collimatum fuit, dum nuperrimis diebus conficiendæ hujus rei causa, Sacra Reg. Maj. Nos plenipotentia dedita & sufficientibus mandatis instructos, me videlicet Reg. Suæ Maj supremum Cubicularium & cohortium prætoriarum Colonellum Christophorum Carolum Schlippenbach, Comitem in Schefuede, L.B. in Liusala, Dominum in Salingen, & me Reg. Suæ Maj. Consiliarium Aulicum & Præsidem Ducatuum Bremensis & Verdensis, Matthiam Biörenklou, Hereditarium in Elmenhoff, Wannestadt & Tislinge; ut & me Reg. Suæ Maj. Consiliarium, & ad Aulam Ser. Suæ El. Residentem Bartholomæum Wulfsberg, Hæreditarium in Engenääs: Ser. verò Sua El. Nos quoque debita Plenipotentia & sufficientibus mandatis instructos, me videlicet Ser. Suæ El. Consiliarium Status intimum, & negotiorum feudalium Directorem, nec non Serenissimæ Electricis supremum Aulæ Præfectum & Capitaneum in Oranienburg, Otthonem L.B. de Schvverin, Dominum in Landsberg, Oldevvigshagen, nec non Electoratus Brandenburgensis hæreditarium Camerarium, ut & me Fridericum de Jehna, Ser. Suæ Elect. Consiliarium Status intimum, invicem congredi, & supradictum negotium inter Nos ventilare, tractare, & demum concludere jusserint: Nosque deinde vigore supradictorum Procuratoriorum & acceptorum mandatorum, habitis ultro citroque conferentijs, in sequentes utrinque conditiones mutuo & unanimi consensu iverimus.

I.

Quemadmodum itaque vigore Pactorum Regiomontanorum d. 7. Januarij st. vet. hujus Anni initorum, Ducatus Borussiæ & Principatus Warmiæ dicto die in perpetuum à Regno Poloniæ separabatur, ita hoc ipso, & vigore horum Pactorum in æternum quoque separatus sit & maneat: adeo ut neque Ser. Sua El. neque ipsius Successores, Ducatum Borussiæ & Principatum Warmiæ ulla ratione Regno Poloniæ, aut ejusdem Vasallagio & dependentiæ imposterum obstringere, sed potius omnibus viribus reniti debeant, ne unquam ad eandem vel similem

lem conjunctionem cum Polonia, vel quocunque alio Regno aut republica reducantur & veniant.

2.

Quem in finem Sacra Reg. Maj. Sueciæ pro se & Successoribus suis Regijs & Regno Sueciæ, nunc & in perpetuum Pacta feudalia, quæ inter Sacram Reg. Maj. & Regnum Sueciæ ab una; & Ser. Suam El. ab altera parte Regiomonti die 7. Januarij hujus 1656. Anni, erecta fuerant, & in quibus præter alia Ser. Sua El. quoque promiserat, se velle prædictum Ducatum Borussiæ & Principatum Warmiæ à Sacra Reg. Maj. Ejusque Successoribus Regibus & Regno Sueciæ in feudum recognoscere, cum omnibus alijs Regiomonti die 7. Januarij praeterea initis conventionibus, & subsecuta declaratione Mariæburgensi, d. 15. Junij st. vet. hujus Anni, hoc ipso cum omnibus & singulis suis verbis, clausulis & Articulis inibi comprehensis, irrita & nulla pronuntiat, omnemque ipsis vim, vigorem & effectum, hoc ipso & virtute hujus Pacti penitus & in æternum detrahit, ipsaque dictorum Pactorum Originalia, cum retradi non potuerint, hoc ipso pro retraditis, utrinque scissis, & in cineres redactis habentur, atque in æternum habebuntur, adeò ut Pacta hæc abolita, contra Ser. Suam El. & ejus ex legitimo matrimonio descendentes Successores masculos inposterum nulla penitus ratione allegari, vel Sacra Reg. Maj. Ejusque Successores Reges Regnumque Sueciæ illis uti possint vel debeant.

3.

Quod Deus itaque Ter Opt. Max. felix faustumque esse jubeat, ab hac die & in perpetuum Sereniss. Princeps ac Dominus, Dn. FRIDERICUS WILHELMUS Dei gratiâ Marchio Brandenburg. (tot. tit.) & Ejusdem ex legitimo matrimonio descendentes Successores masculi, omnes & singuli continuata serie, ratione Ducatus Borussiæ & Principatus Warmiæ, sint & maneant Principes summi, absoluti & Suverenij, ijsque Juribus, quibus Principes summi & independenti potestate pollentes gaudent, vel meritò gaudere debent, posthac gaudeant, utantur & fruantur.

4.

Quemadmodum verò Sacra Reg. Maj & Ejus Successores Reges & Regnum Sueciæ, nullo unquam tempore, quamdiu Ser. Sua El. Ejusque ex legitimo matrimonio descendentes masculi supersunt, Jus aliquod sub quocunque prætextu vel specie in Ducatum Borussiæ & Principatum Warmiæ, vel partem aliquam eorum prætendere, vel Duces & Principes in aliquo summæ & absolutæ potestatis exercitio turbare, vel etiam ad instantiam, sive statuum sive subditorum, sive aliorum quorumcunque se immiscere, vel alio modo, sive directè sive indirectè, sive per se, sive per alios, sive apertè, sive clam, in quieta possessione & Dominio

summæ

summæ potestatis & Suverenitatis inquietare debent; Ita Ser. Sua El. & Ejusdem Successores legitimi, in nullam Regalis Borussiæ partem Jus ullum, vel ullam prætensionem sibi vendicabunt, nihilque unquam in præjudicium reservati pro Sacra Reg. Maj. & Regno Sueciæ juris successionis in supra dictum Ducatum Borussiæ & Principatum Warmiæ in casum deficientis lineæ Ser. Suæ El. descendentis masculæ, sive per se, sive per alios, clam vel palam agent.

5.

Et quandoquidem sedes Capituli Canonicalis Frauenburgum, unà cum adjacente speciali suo territorio, quod vulgari lingua appellatur das Frauenburgische Ampt/vigore supradictorum Pactorum feudalium jam abolitorum à Warmiæ Principatu segregabatur, & Sacræ Reg. Maj. & Regno Sueciæ reservabatur, ideo etiam dicti Capituli Canonicalis sedes, Oppidum scil. Frauenburgum, cum integra Præfectura, vulgò das Frauenburgische Ampt/ posthac penitus à Principatu Warmiensi separabitur, & Sacræ Reg. Maj. Ejusque Successoribus Regibus & Regno Sueciæ competet, idque limitibus ijsdem, quibus tempore erectorum pactorum feudalium jam abolitorum, peculiariter & speciatim pro talibus habiti sunt, & quibus à cæteris territorijs Episcopalibus vel Capitularibus in Warmia tunc distincti fuerunt. Atque ideo Sacra Reg. Maj. & Ejus Successores Reges & Regnum Sueciæ jus nullum in fundos, pagos & jura, quæ ante tempus erectorum nunc abolitorum pactorum feudalium, Capitulo Frauenburgensi, Ejusdem Canonicis & quibuscunque alijs in Territorio Frauenburgensi existentibus Ecclesiasticis, extra dictum speciale territorium Frauenburgensc., in Ser. Suæ El. provincijs competierunt, posthac unquam prætendent. Vicissim Ser. Sua El. & Ejus ex legitimo matrimonio descendentes Successores masculi nihil quicquam ex fundis, pagis, Jurisdictionibus, juribus & reditibus, item jurium & redituum communionibus, quæ extra Principatum Warmiæ, sive in Territorio Frauenburgensi, sive in alijs Sacræ Reg. Maj. & Regni Sueciæ Territoriis antehac ad Episcopatum, Capitula & alios quoscunque Ecclesiasticos in Warmia spectarunt, sibi vendicabunt.

6.

Adhæc ut de stabili & sincera amicitia planè nullum supersit dubium, non modò conjunctio ista armorum quæ die XV. Junij Anni jam currentis Mariæburgi est inita (quatenus hisce ut & nunc confectis secretis Pactis, ipsique adeò Suverenitati seu summæ potestati, non est contraria) virtute hujus Articuli repetita sit, & priorem suum vigorem obtineat, sed insuper etiam loco obrogatæ feudalis illius obligationis, quæ antehac inter Sacram Reg. Maj. & Ser. Suam El. intercessit, Ser. Sua El. & Ejusdem ex linea Ser. Suæ El. descendente mascula Legitimi Successores, ab hac die, quoad supra dictum Ducatum Borussiæ & Principatum Warmiæ,

miæ, abſoluti Suverenii, Independentesque Principes, & arctiſſimo quodam fœdere, & ratione eventualis illius ſucceſſionis, quæ infra Art.13. comprehenditur, Sacræ Reg. Maj. & ejusdem Succeſſoribus Regibus & Regno Sueciæ, perpetuo & inviolabiliter conjuncti, & invicem obligati maneant, adeo quidem, ut inter Sacram Reg. Maj. & Ejusdem Succeſſores Reges & Regnum Sueciæ, & Ser. Suam El. & ejusdem deſcendentes legitimos Succeſſores, abſolutos & Suverenios Duces Boruſſiæ & Principes Warmiæ fœdus & vera amicitia concluſa & ſtabilita ſit.

7.

Sit itaque ab hac die inter Sacram Reg. Maj. & ejusdem Succeſſores Reges & Regnum Sueciæ ab una; & inter Ser. Suam El. & ejus ex legitimo matrimonio deſcendentes Succeſſores maſculos ab altera parte firmũ indiſſolubile & perpetuum fœdus, mutua fides, ut & conſtans atque ſincera amicitia, eaque ſeriò ſemper ſervetur, & inviolabiliter conſervetur, ita ut pars altera alterius & utriusque terrarum, ditionum & ſubditorum, tanquam propriorum, commoda, utilitatem, honorem & augmenta quærat & promoveat.

8.

Vigore ejusmodi perpetui Fœderis, nulla Pacta aut Fœdera, quæ hactenus utrinque cum alijs confecta fuerunt, vim ullam obtineant (quatenus huic Fœderi & commodo ac bono utrorumque contrahentium adverſantur) neq; ulla poſthac Pacta aut tractatus in præjudicium & detrimentum hujus Pacti habeantur, aut concludantur. Atque ideò Sacra Reg. Maj. & Ser. Sua El. pro ſe, & ſuis reſpectivè Succeſſoribus, Regnis, Provincijs & ditionibus, ad hoc ſe mutuò nunc obſtringunt, quod in futuro Tractatu cum Rege & Republica Poloniæ, Magnique Ducatus Lithuaniæ, conjunctis conſiliis & viribus, in id ſtudioſiſſimè incumbere velint. Primum ut Sacra Reg. Maj. ejusque Succeſſores Reges & Regnum Sueciæ, eam à Rege & Repub. Poloniæ, Magnique Ducatus Lithuaniæ adipiscantur ſatisfactionem, quæ Inſtrumenti Secreti Art.1. expreſſa eſt. Deindè, ut Ser. Sua El. & ejusdem ex linea Ser. Suæ El. deſcendente maſcula legitimi Succeſſores, non modò Ducatum Boruſſiæ, ſed etiam Principatum Warmiæ, cum omnibus eorum pertinentiis, & juribus, cumprimis verò abſoluta poteſtate & Suverenitate, tutò ac perpetuò habeant & poſſideant. Si itaque Deo ita dirigente motus & bellum præſens Polonicum componi & ſopiri debet, neutra pars ullum de pace facienda Tractatum vel quodcunque cum hoſte pactum, nedum ipſam pacem cum eodem hoſte initura & concluſura eſt, niſi altera conſenſerit, & utrique parti ex præſcripto hujus Articuli, ut & Articulorum primi & ſecundi in Inſtrumento ſecreto ſatisfactum ſit, omnesque & ſingulæ provinciæ & jura, tam uni, quam alteri parti hoc bello, & per futurum cum Rege & Republ. Poloniæ, Magnique Ducatus Li-

Lithuaniæ Tractatum, acquisita & acquirenda, communi Pacis Instrumento debitè includantur, ut imprimis *Ser.* sua El. sæpius dictam absolutam potestatem & suverenitatem salvam & integram, absque ullo damno, detrimento vel incommodo retineat, & tum vigore etiam ejusdem Instrumenti Rex & Resp. Poloniæ, Magnique Ducatus Lithuaniæ, juri & prætensioni, quam tum in Provincias Instrumenti secreti Art. 1. specificatas & sacræ Reg. Maj. ejusque successoribus Regibus & Regno *Sueciæ* in satisfactionem dandas & tradendas, tum in *Ser.* suæ El. Ducatum Borussiæ & Principatum Warmiæ hactenus habuere, firmiter & sufficienter renuncient, renunciatumque sit.

9.

Et quandoquidem Ser. sua El. pro se & legitimis suis successoribus, sacram Reg. Maj. ejusque successores Reges Regnumque Sueciæ de sincera constantiâ; hac amicitia & intemerata vicinitate securos & certos reddi cupit; Ideo hoc ipso promittit, se nec commerciorum usum, nec reliqua Jura & consuetudines, inter Regiam & Ducalem Borussiam, legitimè receptas, in ullo impedituram, aut illis quicquam detracturam; sed ut hæc omnia rectè procedant & ritè observentur, curaturam, ita tamen, ut dum Ser. sua El. supradicta omnia promovet & manutenet, nihil propterea diminutum & detractum existimetur, sive de summa ejusdem & independente potestate, sive de perpetua separatione Ducatus Borussiæ & Principatus Warmiæ, à Borussia Regia, Regno & Republica Poloniæ.

10.

Si etiam necessitas postulet, ut vel copias vel exercitum per alterius Fœderati Ditiones, Terras & Provincias duci oporteat, liber quidem utrique parti sit transitus, commodiori tamen & breviori viâ per Commissarios designanda ducantur, neque de industria diutiùs commorentur: Antequam etiam fines ingrediantur, ille, qui Exercitui vel copiis præest, si Regius fuerit, Ser. suæ El. aut cui Ser. sua El. partes suas concredidit; Quod si verò El. id ipsum prius sacræ Reg. Maj. aut ei, qui in istis provinciis locum ejus tenet, significabit. Quemadmodum autem absq; sumtu sacræ Reg. Maj. & Ser. suæ El transeundum erit prædictis copiis, & Exercitibus; ita Ductoribus imprimis incumbet, omni studio curare, & præcavevere ut abstineatur ab omni penitus damno & injuria, tum subditorum, tum Incolarum, tum terrarum per quas transeunt. Quod si verò culpa Ducis factum, quod hisce pactis contrarium fuerit, in ipsum animadvertetur, & circa damni dati æstimationem & restitutionem, ex bono & æquo, mediantibus ab utraque parte constitutis Commissariis agetur, & amicè componetur.

11.

Convenit quoque hoc ipso ut sacræ Reg. Maj. & Regni *Sueciæ*, ut & eorum subditorum naves mercatoriæ, liberè Ser. suæ El. portus maritimos ingredi, ibiq;

locorum

locorum ad anchoras subsistere, & peractis rebus suis iterum enavigare possint, solutis semper vectigalibus, non tamen majoribus, quàm quæ à Ser. suæ El. subditis penduntur. Exemta verò penitus teloneorum solutioni maneant ea, quæ Regum Sueciæ propria & ad bellicum apparatum confecta sunt, peculiari eorundem usui inservientia, non verò ad mercatum aliquem destinata: Atque ideò, quoties ejusmodi Regum Sueciæ res propriæ mittentur, tum ad evitandas fraudes, unà cum dictis rebus designatio earum sacræ Reg. Maj. Sueciæ, proprijs manu & sigillo munita afferetur, & teloneorum Electoralium Præfecto exhibebitur. Valebit quoque & ab Electoralium teloneorum Præfecto acceptabitur, rerum Regum Sueciæ propriarum, sed usui tantum bellico adaptatarum designatio, sive illa à Gubernatore alicujus Provinciæ ad Sueciam spectantis, sive à Generali aliquo Suecico subscripta & sigillo ejusdem roborata sit. Pariter quoque sacra Reg. Maj. pro se & successoribus Regibus & Regno Sueciæ promittit idem eundemq; modum observatum iri in portubus Regalis Borussiæ circa res Ser. suæ El. & successorum proprias. Permissum quoque sit, naves suas ibidem reficere atque commeatum aliaq; necessaria, justo pretio comparare. Naves bellicas quod spectat, non prohibebuntur quidem & illæ ad portum accedere, tenebuntur tamen strictè semper sequentia observare, nimirum ut quamprimùm anchoras jecerint, indicent adventum suum Gubernatoribus Portuum, fidemque faciant per ordinarias passe-Portuum litteras, se Suecicas esse; tum, ut convenienti distantia, unde justum periculum portubus ac fortalitiis imminere non possit, extra globi tormentarii ictum, commodo tamen navibus ad evitandas tempestates loco, subsistant; Milites quoque vel nautæ, tanto numero, unde aut periculum excitari possit prædictis portubus & fortalitijs, aut justæ suspicioni causa præberi, non egrediantur; qui verò præter eos, qui ad emenda & comparanda necessaria sufficiunt, egredi volunt, facient id cum consensu & scitu gubernatoris Electoralis.

12.

Quemadmodum verò prædicti Ser. suæ El. portus, sacræ Reg. Maj. & ejusdem successoribus Regibus & Regno Sueciæ, ad præscriptum modum patebunt, ita vicissim hostibus Regum & Regni Sueciæ, ubi per specialem designationem tales esse denuntiati fuerint, supradicti portus omninò clausi sint, neque transitus unquam, neque aditus ullus aut receptus, vel per Ditiones terrestres, vel portus maritimos, quoad poterit id prohiberi, concedatur, salvis tamen ubiq; navigatione, & commerciorum usu terra marique, cumprimis verò introitu, statione & egressu mercatorum, navium & mercium non prohibitarum cujuscunque Nationis. Cæterum ut merces usui bellico adaptatæ, vulgò von Contrabande, nullo modo sive terra sive mari, ex Ser. suæ El. territorio in Borussia Ducali & Warmia ad sacræ Reg. Majestatis hostes emitti debent; ita cumprimis Ser. suæ Elect. portus penitus clausi sint navibus, quæ mercimoniis bellico usui servientibus,

in Ducatu Borussiæ vel Principatu Warmiæ fuerint oneratæ, quo minus ad hostes Sacræ Reg. Maj. & Regni Sueciæ mittantur. Reciprocum etiam quoad res bellico usui servientes observari debet, à Sacra Reg. Maj. & ejus Successoribus & Regno Sueciæ in Borussia regia, Pomerellia, & eò spectante Cassubiæ parte, ut & Samogithia, ne scil. tales res, indè vel terra vel mari, ad Ser. Suæ El. & ejusdem ex legitimo matrimonio descendentium Successorum masculorum hostes emittantur. Pro mercibus verò bello accommodis haberi utrinque debent sequentes: gladii, enses, acinaces, frameæ, cuspides, lanceæ, hastæ, bipennes; Arcus, tela; bombardæ cum suis igniariis, & aliis ad eas pertinentibus, furcæ sclopetariæ, fomites, aliàs Lunten; tormenta cũ suis pertinentibus, pulvis tormentarius, salpetræ, tubi Catapultarii, vulgò mortaria, indutiles Stlopi, vulgò Petarden, ignes missiles, glandes igniariæ missiles, vulgò grenades, pilæ, globi majores & minores facti ad ejaculandum; cassides, galeæ, thoraces loricati varii generis, & cumprimis illi, qui vulgò vocantur Courasses; scuta, & similia armaturæ genera; ut & quæcunque alia Instrumenta bello tantum inservientia.

13.

Præterea pro majori certitudine & securitate Sacræ Reg. Maj. & Regni Sueciæ promittit Ser. Sua El. pro se & suis Successoribus, quod si (quod Deus avertat) linea Ser. Suæ Elect. descendens mascula defecerit, tum Ducatus Borussiæ & Principatus Warmiæ cum omnibus Juribus & absoluta summaque potestate ad Reges Regnumque Sueciæ absque mora & contradictione devolvantur, ijsque plenariè acquirantur. Quamprimum itaque extincti fuerit Ser. Suæ El. linea descendens mascula, illicò Sacra Reg. Maj. & Ejusdem Successores Reges & Regnum Sueciæ, Jus & potestatem habebunt occupandi possessionem Ducatus Borussiæ & Principatus Warmiæ, atque ut major constet Sacræ Reg. Maj. Regnoque Sueciæ supradicti juris succidendi certitudo & securitas, Ser. Sua El. curabit, ut Ordines Ducalis Borussiæ & Principatus Warmiæ, salva & illæsa Ser. Suæ El. & ejus ex legitimo matrimonio descendentium Successorum masculorum suverenitate, juramento se obstringant, quod in casum deficientis lineæ Ser. Suæ El. descendentis masculæ, nullum alium legitimum heredem ac Dominum, quàm Sacram Reg. Maj. Ejusque heredes & Successores Reges & Regnum Sueciæ agnoscent & recipient, quodque etiam eidem Sacræ Reg. Maj. ejusque hæredibus & successoribus Regibus & Regno Sueciæ, existente casu deficientis lineæ Ser. Suæ El. descendentis masculæ fide, devotione & obsequio promtè se submittere velint & debeant, quam quoque sponsionem, quoties casu evenienti homagium sunt revocaturi, eodem modo repetent. Similiter tum Sacra Reg Maj. & ejusdem Successores Reges Sueciæ, quoties gubernacula sui Regni, tum Ser. Sua El. & ejusdem legitimi Successores, quoties gubernacula Ducatus Borussiæ & Principatus

Warmiæ

Warmiæ suscipient, assecuratorijs invicem literis profitebuntur & promittent, se velle hæc Pacta arctissimi fœderis, & supradictæ eventualis successionis illibata servare & in perpetuum eorum vigorem ad posteros propagare. Prætensio Dominorum Marchionum Brandenburgensium in Ducatum Borussiæ, eo in statu & conditione maneat & relinquatur, in quo fuit tempore postremæ à Regibus Poloniæ datæ in Ducatum Borussiæ Investituræ. Dicta verò prætensio neutiquam extendatur ad Principatum Warmiensem, multò minus ad utriusque tam Ducatus Borussiæ quàm Principatus Warmiensis suverenitatem, utpote quæ Jura Ser. Sua El. sibi & suis solùm descendentibus masculis nuper admodum acquisiverat. Circa hunc Articulum specialiter promittit Sacra Reg. Maj. pro se & successoribus suis Regibus & Regno Sueciæ, quod eveniente casu extinctæ lineæ Ser. Suæ El. descendentis masculæ, superstitibus ex eadem Ser. Suæ El. descendente linea Marchionissis proximioribus solventur trecenta Imperialium millia, quibus hoc ipso per mutuam conventionem, usque dum summam istam 100000. Imperialium acceperint, cum omni jure occupanda Præfectura Insterburgensis, cum omnibus ad eam spectantibus Præfecturis Cameræ, vulgò Cammer-Ampteren conceditur, adeo, ut à nullo occupatio ista impediri, sed à Sacra Reg. Maj. & ejus successoribus Regibus & Regno Sueciæ conservari, & in possessione manuteneri debeant.

14.

Ad obtinendum autem propositum utrinque scopum, & eorum omnium & singulorum, quæ his Pactis continentur, & utrique parti acquisita sunt firmitudinem, mutuum non modò consilium, sed auxilium etiam omninò est necessarium, idque durante hoc bello Polonico præstari utrinque debet ex præscripto Pactorum Marienburgensium, utpote quæ vigorem adhuc obtinebunt, quatenus hisce Pactis & suverenitati non sunt contraria. Quod si verò post præsentis belli Polonici compositionem, Fœderatorum alteri hostilitas aliqua in Provincijs hoc bello acquisitis, & ad quarum defensionem Fœderati sibi invicem auxilium ferre tenentur, vel immineat vel incumbat, etiam tum de mutuo auxilio præstando ita utrinque convenit, ut si Sacra Reg. Maj. ejusque successores Reges & Regnum Sueciæ Ser. Suam El. & ejus Successores Duces Borussiæ & Principes Warmiæ certiores reddiderint de tali hostili impetu, in eas provincias quarum causa Ser. Sua El. & ejus ex legitimo matrimonio descendentes Successores masculi vigore Instrumenti secreti Art. 5. tenentur suis auxiliaribus copiis Sacræ Reg. Maj. & ejus successoribus Regibus & Regno Sueciæ adsistere, idque quod dictus hostilis impetus vel jam præsens sit, vel quod certò metuatur, tum Ser. Sua El. & ejus successores tenebuntur, intra spatium duorum vel trium Mensium, à die factæ notitiæ computandorum, exercitum duobus millibus & quingentis equitibus constantem, pro-

prijs ſumtibus conſcriptum, cum omni apparatu & perito belli Duce ſacra Reg. Maj. & ejusdem ſucceſſoribus Regibus & Regno Sueciæ, auxilio mittere. Et quando dictus exercitus finibus Ser. ſuæ El. exceſſerit, ratione ſupremæ directionis, Jurisdictionis, ſuſtentationis & avocationis, ita quo ad omnia habeatur & obſervetur, quemadmodum in ſupradictis Pactis Marienburgenſibus jam aliàs in ſimili convenerat. Viciſſim ſacra Reg. Maj. pro ſe & ſucceſſoribus ſuis Regibus & Regno Sueciæ promittit, ac tenebuntur, ſi Ser. ſuæ El. & ejus ex legitimo matrimonio deſcendentibus ſucceſſoribus maſculis, in Boruſſia Ducali & Principatu Warmiæ, vel præſens jam ſit hoſtilitas, vel immineat & metuatur, & id ipſum ſacræ Reg. Maj. & ſucceſſoribus ejus Regibus & Regno Sueciæ, à Ser. ſua El. & ſucceſſoribus ejus legitimis notum factum fuerit, tum ſacra Reg. Maj. cum exercitu duobus millibus & quingentis peditibus, & mille quingentis equitibus conſtante, propriis impenſis conſcripto, intra ſpatium duorum aut trium Menſium, à die factæ notificationis numerandorum, auxilio futuros; cumque eo Exercitu, circa omnia Ser. ſua El. & ejus Ser. ſucceſſores ita agent, quemadmodum hoc ipſo Articulo convenit, ut ſacra Reg. Maj. ejus ſucceſſores & Regnum Sueciæ cum exercitu in ſubſidium à Ser. ſua El. & ejus ſucceſſoribus miſſo agere debeant.

Confecta verò horum Pactorum bina ejusdem tenoris exemplaria, hac ipſa die inter Nos utrinq; conſtitutos, & ſupra nominatos Plenipotentiarios Commiſſarios ſunt extradita; à ſacra Reg. Maj. Sueciæ, & Ser. ſua El. Brandenburgica intra quatuordecem dies à dato concluſæ & ſubſcriptæ hujus Transactionis ratificanda, & hinc indè quoque permutanda. In ſupraſcriptorum omnium & ſingulorum certam & indubiam fidem, majusque robur, hoc ipſum Inſtrumentum manuum noſtrarum ſubſcriptione, ſigillorumque noſtrorum appoſitione roboravimus. Actum in Arce Labavienſi, d. 10. Novembr. ſt. vet. An. 1656.

| | |
|---|---|
| Chriſtophorus Carolus Schlippenbach | Ottho L. B. à Schwerin |
| (L.S.) | (L.S.) |
| Matthias Biörenklou | Fridericus de Jena |
| (L.S.) | (L.S.) |
| Bartholomæus Wulfsberg | |
| (L.S.) | |

Nos

Nos itaque FRIDERICUS WILHELMUS (tot. tit.) spondemus atque promittimus, tam nostro quàm successorum & descendentium nostrorum nomine, universa & singula capita, pactis suprascriptis comprehensa, bona fide nos approbare, confirmare & ratihabere, prout eadem etiam præsentibus nunc approbamus, confirmamus & ratihabemus, promittentes verbo Electorali, Nos non modò dictis Pactis posthac constanter inhæsuros, curaturosque, ut omnia & singula pactorum capita, quæ à nostra parte promissa sunt, ritè & religiosè observentur, sed etiam impedituros, ne à quoquam violentur. In quorum fidem & majus robur hoc Instrumentum manu nostrâ subscriptum, sigillo insuper nostro Electorali muniri jussimus. Dabantur in Arce Labiavensi d. 23. Novemb. st. vet. Anno 1656.

Fridericus Wilhelmus
Elector.

---

Num II.

Nos FRIDERICVS WILHELMVS Dei gratia, Marchio Brandeburgensis (tot. tit.) significamus omnibus & singulis quorum scire hoc interest, Quod cum ad Tractatum cum Serenissimo & Potentissimo Principe, Domino CAROLO GUSTAVO, Svecorum, (tot tit.) Domino Cognato, Fratre & Fœderato nostro colendissimo, Plenipotentiarios Nostros Commissarios constituerimus, eosque sufficientibus mandatis instruxerimus, Illi cum Sac. Reg. Maj. Plenipotentiarijs Commissariis congressi, non modò Instrumentum Principale erexerint, sed etiam in sequentia Secreti Instrumenti Pacta, quorum capita omnia & singula hic inserta sunt, atque hic sequuntur, consenserim.

NOtum testatumque sit universis & singulis quorum interest, aut quomodolibet interesse potest, Quod cum peculiaribus ijsque gravibus de causis, ea Pacta, quæ inter Sacram Regiam Majestatem, Reges Regnumque Sueciæ ab una; Serenissimam suam Electionem ejusque Successores ab altera parte, die septimo Januarij stil. veter. currentis adhuc Anni, Regiomonti

inita

inita sunt, cum omnibus aliis quæ ab ijs dependent vel dependere possunt solenni Instrumento die X. Novembr. st. vet. Anni præsentis, iterum sublata, annullata, ijsque penitus omnis vigor & effectus, in æternum detractus sit, utrique verò parti commodum visum non fuerit, capita quædam prædicto Instrumento inserere, sed potius ea peculiari atque secreto hinc insinuare, ideo de ijs omnibus in hoc præsenti Recessu inter utriusque partis Plenipotentiarios Commissarios conventum & approbatum est.

I.

Quandoquidem Sacra Reg. Maj. & ejus successores Reges & Regnum Sveciæ atque Seren. Sua El. ejusque legitimi successores, ex præscripto Articuli 7. in principali Instrumento, honestæ & tutæ paci cum Polonia obtinendæ, mutuò & decenter incumbent, & Sacra Reg. Maj. nihil quo ejusmodi pax haberi possit, in se desideratum iri cupit, ideò altissimè memorata Sacra Reg. Maj. contenta est, ut, si post utriusque Fœderati diligentem cooperationem in Tractatu, plures provinciæ è Poloniæ & Lithuaniæ corpore in satisfactionem pro Sacra Reg. Maj. & Regno Sueciæ retineri & haberi non possint, quam illæ, quæ hic inferius specificatæ sunt, & pax videbitur impediri, nisi Sacra Reg. Maj. & Regnum Sueciæ, tali prætensione in plures provincias, quàm quæ infrà in hoc Articulo specificantur, desistant, tum demum, sicuti Sacra Reg. Maj. & ejus successores Reges & Regnum Sueciæ vigore supradicti Art. septimi obstricti sunt, una cum Ser. Sua El. agere pro Suæ Ser. El. terris, juribus & acquisita suverenitate; ita quoque Ser. Sua El. ejusque successores legitimi, vicissim virtute sæpius dicti Articuli 7. tenebuntur, unà cum Sac. Reg. Maj. & ejus successoribus Regibus & Regno Sueciæ, agere & cooperari, ut Borussia Regia, Pomerellia, & eò spectans Cassubiæ pars, item Samogithia, Semigallia, Curlandia & Livonia, cum suis pertinentijs & Juribus Sacræ Reg. Maj. & ejus successoribus Regibus & Regno Sueciæ, in satisfactionem à Rege & Republ. Poloniæ Magnique Ducatus Lithuaniæ in perpetuum cedantur. Et quidem quod attinet Livoniam, quandoquidem Sacra Reg. Maj. & Regnum Sueciæ jam diu ejusdem Provinciæ maxima parte potiuntur, utrinque à Fœderatis in Tractatu laborandum erit, ut Rex & Resp. Poloniæ, Magnique Ducatus Lithuaniæ, totam Livoniam, cum omnibus suis pertinentijs & juribus Sacræ Reg. Maj. ejus successoribus Regibus & Regno Sueciæ perpetuo Jure habendam & possidendam cedant. De Curlandia quoque ita specialiter conventum est, ut idem Jus, quod Regibus & Reipub. Poloniæ Magnique Ducatus Lithuaniæ in Curlandiam hactenus competierat, per Tractatum cum Polonia procuretur & acquiratur Sacræ Reg. Maj. & ejus successoribus Regibus & Regno Sueciæ, salvis tamen & illæsis, per omnia juribus, & statu Ducis Curlandiæ. Atque ut Sacra Reg. Maj. & ejus successores Reges & Regnum Sueciæ dictam Curlandiam suprà dicta ratione per Tractatum

Tractatum cum Polonia conſequantur, Ser. ſua El. & ejusdem ex legitimo matrimonio deſcendentes ſucceſſores maſculi, non modò non impedient, ſed inſuper etiam pro poſſe ſuo cooperabuntur.

2

Præterea quemadmodum in pactis Marienburgenſibus, ut & in peculiari inſuper ibidem confecto Inſtrumento à ſacra Reg. Maj. ſucceſſoribus Regibus & Regno Sueciæ Ser. ſuæ El. & ejus ſucceſſoribus legitimis utriusque ſexus, in ſublevationem ſumtuum & ſatisfactionem, traditi & ceſſi ſunt integri Palatinatus Posnanienſis & Caliſienſis, exceptis locis nonnullis, item totus Palatinatus Lancicienſis & Siradienſis, unà cum terra Vielunenſi; ita hæc traditio & ceſſio, cum omnibus ſuis clauſulis & Articulis, ſalva & integra maneant. Cum verò à ſacra Reg. Maj. Ser. ſuæ El. expoſitum pluribus ſit, fieri aliquando poſſe, ut ſi ad Pacis Tractatus perveniretur, pax ipſa haſce ob terras & Palatinatus, ſi Poloniæ non reſtituerentur, impediretur, atque Ser. ſua El. nullo magis quàm quietis & pacis ſtudio & deſiderio flagret, nihilque intermittere velit, quo reduci iterum ſincera fidaque pax poſſit, ideo hoc ipſo ſpondet atque promittit, ut ſi habito Pacis Tractatu Sereniſſ. Rex & Respub. Poloniæ, nulla penitus aliâ ratione, cum ſacra Reg. Maj. ſucceſſoribus Regibus & Regno Sueciæ, & Ser. ſua El. ejusque ſucceſſoribus, pacem inire velit, quam reſtitutis jam dictis Palatinatibus & Terris, ſe de jure ſuo quæſito diſceſſuram, & dictos Palatinatus & terras in manus Polonorum reſignaturam, absque ulla tamen rationum redditione, vel reſtitutione fructuum perceptorum & percipiendorum, vel quarumcunque aliarum obventionum, aut damni quovis modo dati: Atque hoc caſu donationes vel oppignorationes omnes & ſingulæ à ſacra Reg. Maj. ſuis Generalibus & aliis quibuscunque Miniſtris in dictis majoris Poloniæ Palatinatibus & Terris factæ, ceſſabunt, nec Ser. ſua El. vel ejus ſucceſſores tenebuntur hac in parte ſtare promiſſioni, Pactis Mariæburgi d. 15. Junii hujus Anni initis, inſertæ. Obſtricta tamen ſit & teneatur ſacra Reg. Maj. ſucceſſores Reges & Regnum Sueciæ, durantibus Pacis Tractatibus, & ſemper omnibus viribus eò laborare, ut ſi non toti & integri iſti Palatinatus & Terræ, pars tamen eorum apud Ser. ſuam El. & ejus ſucceſſores remaneat, quo caſu Ser. ſua El. pro parte & proportionaliter in parte retenta conſtitutas donationes vel oppignorationes ſervabit. Quod ſi verò non obſtante omni adhibita diligentia, induſtria & viribus, ne pars quidem obtineri poſſint, cedant integro Regi & Regno Poloniæ, prout ſuperius jam dictum & promiſſum eſt. Nihil verò Ser. ſua El. & ejus ſucceſſores, propter hanc pacis cauſa Regi & Regno Poloniæ, factam ceſſionem & reſtitutionem dictorum Palatinatuum & Terrarum, contra S. Reg. Maj. Reges Regnumque Sueciæ unquam prætendant, ſed eos ab hac in pactis Mariæburgen-

 ſibus,

sibus, & peculiari ibidem facto Instrumento promissa satisfactione eum in casum perpetuo liberatos & solutos pronuntiant.

3.

Participationem teloneorum, vulgò Licenten, in Portubus maritimis Ducalis Borussiæ, de qua aliquid in Pactis 7. Januarii Regiomonti initis, & nunc penitus peculiari Instrumento die X. Novembr. erecto, sublatis & annullatis, Articulo 12. actum fuerat, quod spectat, ea hisce præsentibus mortificatur, & aboletur, sacraque Reg. Maj. Reges Regnumque Sueciæ, ab ea & omni prætensione penitus nunc & imposterum decedunt & desistunt. Ut verò sacra Reg. Maj. Reges Regnumque Sueciæ, pro eo, quod huic Juri renunciaverint, vicissim aliquam gratitudinis tesseram à Ser. sua El. consequantur, promittit Ser. sua El. se sacræ R. Maj. à tempore subscripti hujus Instrumenti, intra spatium 14. dierum, 20000. Imperialium, intra spatium verò 6. septimanarum à die ratificationi exhibendæ præfinita 10000. Imperialium soluturam esse. Præterea telonei, quod vel ad urbem Elbingensem, vel inde navigantes, hactenus sub quocunque nomine & titulo, Ser. suæ El. ex navibus & mercibus solverunt, sequens haberi debet ratio, ut quidem eodem modo posthac continuetur, ita tamen, ut dicti telonei illius seu pecuniæ pro navibus & mercibus solvendæ, dimidium Ser. suæ El. & ejus ex legitimo matrimonio descendentibus successoribus masculis, secundum taxam huscusque usitatam, nunc verò ab Electoralibus Plenipotentiariis subscriptam, & Regiis contraditam, imposterum & perpetuò sine ulla dictæ taxæ variatione in Pillou pendi debeat. Reliquum & quod ultrà ex dictis mercibus solvendum est, sacræ Reg. Maj. ejusdem successorum, Regum & Regni Sueciæ liberæ dispositioni perpetuò suberit, pendendum vel Elbingæ, vel alibi in Borussiæ regalis Territorio.

4.

Licet Art. 13. §. atque ut major constet &c. nullum tempus præfinitum sit, quando Ordines Ducalis Borussiæ & Principatus Warmiæ sacræ Reg. Maj. ejus successoribus Regibus & Regno Sueciæ se juramento, in casum deficientis Lineæ Ser. suæ El. descendentis masculæ, obstringent, visum tamen est expedire utrique contrahentium, tum Sac. Reg. Maj. & ejus successoribus Regibus & Regno Sueciæ, tum Ser. suæ El. & ejus ex legitimo matrimonio descendentibus successoribus masculis, ut dicti ordines ante bellum hoc compositum ad præstandum tale juramentum permoveantur. Quandocunque ergo sacræ Reg. Maj. & Ser. suæ El. earumque successoribus, ante bellum hoc sopitum visum fuerit opportunum exigere ab Ordinibus Ducatus Borussiæ & Principatus Warmiæ dicti juramenti præstationem, tunc Ser. sua El. non modò non impediet sæpè dicti juramenti præstationem, sed potius cum omni possibili modo promotam curabit.

5. Quando-

5.

Quandoquidem verò in Instrumenti Principalis Art. 14. conventum est, ut si post præsentis hujus belli Polonici compositionem hostilitas aliqua Fœderatorum alterutri in Provincijs hoc bello acquisitis, vel immineat, vel incumbat, tum Fœderatorum alter tenebitur ferre & præstare Fœderato, cui arma aliorum vel imminent vel incumbunt, certum & determinatum auxilium, & Provinciæ quarum causa Sac. Reg. Maj. & Regnum Sveciæ, Seren. Suæ El. & ejus Successoribus auxiliari debent, ibidem nominatæ sunt, nulla verò specialis mentio facta est Provinciarum earum, quarum causa Ser. Sua El. & ejusdem ex legitimo matrimonio descendentes Successores masculi Sacræ Reg. Maj. & Regno Sveciæ suppetias tales ferre debent; ideo utrinque placuit, ut reciprocum auxilium, quod Seren. Sua El. & ejusdem ex legitimo matrimonio descendentes Successores masculi obligati sunt præstare Sacræ Reg Maj. & ejusdem Successoribus Regibus & Regno Sveciæ, evenienti tali hostilitatis casu, non debeat extendi ad Livoniam, Curlandiam & Semigalliam, sed tantum de Borussia Regia, Pomerellia, & eò spectante Cassubiæ parte, ut & Samogithia intelligi; ita ut quandocunque Sac. Reg. Maj. & ejus Successoribus Regibus & Regno Sveciæ hostilitas aliqua in modò nominatis Borussia Regia, Pomerellia, & eò spectante Cassubiæ parte, ut & Samogithia, vel præsens sit, vel certò metuatur; tum Ser. sua El. & ejus successores tenebuntur auxilium ferre sacræ Reg. Maj. & ejus successoribus Regibus & Regno Sueciæ, eo numero militum eoque modo, prout in supradicti Instrumenti Art. 14. est determinatum.

Confecta verò horum Pactorum bina ejusdem tenoris exemplaria, hac ipsa die inter Nos utrinq; constitutos, & supra nominatos Plenipotentiarios Commissarios sunt extradita; à sacra Reg. Maj. Sueciæ, & Ser. sua El. Brandenburgica intra quatuordecem dies à dato conclusæ & subscriptæ hujus Transactionis ratificanda, & hincindè quoque permutanda. In suprascriptorum omnium & singulorum certam & indubiam fidem, majusque robur, hoc ipsum Instrumentum manuum nostrarum subscriptione, sigillorumque nostrorum appositione roboravimus. Actum in Arce Labiaviensi, d. 10. Novembr. st. vet. An. 1656.

| | |
|---|---|
| Christophorus Carolus Schlippenbach | Ottho L. B. à Schwerin |
| (L.S.) | (L.S.) |
| Matthias Biörenklou | Fridericus de Jena |
| (L.S.) | (L.S.) |
| Bartholomæus Wulfsberg | |
| (L.S.) | |

Nos itaque FRIDERICUS WILHELMUS (tot. tit.) spondemus atq; promittimus, tam nostro quàm sucessorum & descendentium nostrorum nomine, universa & singula Instrumẽti secreti capita, pactis suprascriptis cõprehensa, bona fide nos approbare, confirmare & ratihabere, prout eadem etiã præsentibus nunc approbamus, confirmamus & ratihabemus, promittentes verbo Electorali, Nos non modò dictis Pactis posthac constanter inhæsuros, curaturosque, ut omnia & singula pactorum capita, quæ à nostra parte promissa sunt, ritè & religiosè observentur, sed etiam impedituros, ne à quoquam violentur. In quorum fidem & majus robur hoc Instrumentum manu nostrâ subscriptum, sigillo insuper nostro Electorali muniri jussimus. Dabantur in Arce Labiavensi d. 23. Novemb. st. vet. Anno 1656.

Fridericus Wilhelmus
Elector.

*Lit. A.*

# Nos CAROLVS GVSTAVVS Dei gratia Suecorum, Gothorum, Wandalorumque Rex, Magnus Princeps Finlandiæ, Dux Scaniæ, Esthoniæ, Careliæ, Bremæ, Verdæ, Stetini Pomeraniæ, Cassubiæ & Wandaliæ, Princeps Rugiæ, Dominus Ingriæ & Wismariæ; nec non Comes Palatinus Rheni, Bavariæ, Juliaci, Cliviæ & Montium Dux.

NOtum testatumque facimus omnibus & singulis quorum interest, aut quomodolibet interesse potest, quod cum ob exorta inter Nos, & Serenissimum ac Potentissimum Principem, Fratrem & Consanguineum Nostrum Dominum LEOPOLDUM Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Schlavoniæ Regem, Archiducem Austriæ, Ducem Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ & Carniolæ, Marchionem Moraviæ, Ducem Lucemburgiæ, ac Superioris & Inferioris Silesiæ, Württembergæ & Teckæ, Principem Sueviæ, Comitem Habsburgi, Tyrolis, Kyburgi & Goritiæ, Landgravium Alsatiæ, Marchionem Sac. Rom. Imperij Burgoviæ, ac Superioris & Inferioris Lusatiæ, Dominum Marchiæ, Schlavoniæ, Portus Naonis & Salinarum, dissidia & animorum divortia, quæ tranquillitatē Sacri Rom. Imperij turbis facile involvere possint, in Germaniam ad Sac. Rom. Imperij Electores, Principes & Status miserimus Ablegatum Nostrum Extraordinarium, Ducatuum Nostrorum Bremensis & Verdensis Præsidem, ut & Consiliarium Nostrum Aulicum Generosum Nobis sincerè fidelem MATTHIAM BIÖRENKLOU, Hæreditarium in Elmenhoff, Wannestad & Tislingen, ad tentandum, si ullis remedijs inconvenientiæ exinde nasciture prævia tractatione præveniri queant, ac fieri possit, ut Alte memoratus Rex Hungariæ & Bohemiæ pacis studia & reconciliationem admittere velit, requisiturus forsan à Nobis Ministros, quibuscum Tractatus legitimè institui possit. Proinde ne quidquam à Nostra parte desideretur, quod animorum Compositioni, & paci publicæ resarciendæ & restabiliendæ conducere possit; Hiscè constituere & in mandatis dare decrevimus, quemadmodum vigore harum constituimus & in mandatis damus supra dicto MATTHIÆ BIÖRENKLAU, ut cum Altè memorati Regis Hungariæ & Bohemiæ Commissarijs justa plenipo-

tentia munitis, congrediatur, atque de medijs vijsque pacis reducendæ, animorumque diffidijs, quæ hinc inde exorta esse possunt, componendis, tranquillitateque publica, secundum Instrumentum Pacis Osnabrugis & Monasterij erectum, sarta tecta de hinc conservanda, cum ijsdem agat, tractet & concludat. Quicquid Noster Ablegatus Extraordinarius sic egerit, tractaverit & concluserit, id omni meliori modo ratum gratumque habituri sumus. In quorum fidem, & majus robur præsentes Manu Nostra subscriptas, Sigillo Nostro muniri jussimus.

Dabantur Goteburgi a.d. 17. May,
Anno 1658.

Carolus Gustavus.

(L.S.)

Eduard Ehrensteen.

---

*Lit. B.*

Nos CAROLVS GVSTAVVS Dei Gratia, Suecorum, Gothorum, Wandalorumque Rex, Magnus Princeps Finlandiæ, Dux Scaniæ, Esthoniæ, Careliæ, Bremæ, Verdæ, Stetini Pomeraniæ, Cassubiæ & Wandaliæ, Princeps Rugiæ, Dominus Ingriæ & Wismariæ; nec non Comes Palatinus Rheni, Bavariæ, Juliaci, Cliviæ & Montium Dux, Reverendissimo & Illustrissimo Principi, Amico Nostro charissimo Domino JOHANNI PHILIPPO Archi-Episcopo Moguntino Sacri Romani Imperij per Germaniam Archi Cancellario & Electori, Episcopo Herbipolensi & Franconiæ Duci
Salutem & prosperos rerum successus.

Reverendissime & Illustrissime Princeps, Amice charissime, Quanquam haud obscuris antea indicijs Dil. Vestr. Nobis comprobaverit, quantum Curæ ipsi cordiq; sit tranquillitatē publicā intemeratam conservare, id tamen luculentius apparuit in literis Dil. Vestr. gratulatorijs, quas Nobis Francofurto à die 7. Aprilis summa lætitiæ ex composita cum Dania pace conceptæ significatione plenas transmisit.

transmisit. Nobis equidem sicuti necessaria arma capessenda omninò fuerunt pro defensione Regni Nostri & Provinciarum Germanicarum, ita nihil in animo antiquius habuimus, quam aliquod securæ pacis beneficium ubicunque extaret, præ belli vel maxima prærogativa amplecti. Dil. autem Vestr. singulares agimus gratias, pro benevola animi contestatione, quam Nobis declarare dignata est. Et quoniam Dil. Vestr. haud dubie à Nostris informata est Ministris, quanto supra infinitas injurias contemtu à Domo Austriaca perstringamur, ita ut nec machinationibus & bellis modus ponatur, nec reconciliationis oblationibus & admonitionibus Dil. Vestr. locus relinquatur ullus, Vestr. autem Dil. strenuè pro pacis Germanicæ conservatione hactenus excubuerit, ab Eadem contendere volumus, ut sub tali onere & labore non defatigetur, sed perseveret constanter quo de S. R. Imperij membris quietem & pacem amantibus tanto præclarius mereatur, & ab omnibus Ordd. condignum sibi vindicet honorem & laudem. Nos sicuti magni facimus præstitam hactenus pro communi tranquillitate & pace publica operam, ita in id incumbemus, ut Dil. Vestr. intelligat velle Nos paria semper secum facere. *Neque enim Domo à Austriaca post perpessa tot damna aliud flagitare in animo constituimus, nisi ut reductis ex Polonia copijs & renunciatis fœderibus in Provinciarum Nostrarum Germanicarum perniciem Nostrique exterminationem pactis, justas reconciliationis & pacis voces in animum admittat, Nobisque tenore Instrumenti Pacis ab Ordinibus & Statibus Imperij caveatur de non amplius lædendo vel offendendo.* Quam æqua hæc sint Dil. Vestr. ipsa judicaverit, atque propterea Eandem denuo compellamus, velit saluberrimum reconciliationis opus *quod jam diu ambimus*, cum Domo sic promovere, ut non tantùm Nobis tutis & securis esse liceat, sed etiam pax Germanica tantis impensis reducta, sarta tecta conservari possit. Cui fini quantum in Nobis est, operabimur fideliter, atque solicitam curam Dil. Vestr. velit Deus prosperare. Quem &c. Gotheburgi 17. May 1658.

Dilectionis Vestræ

*Bonus Amicus*

Carolus Gustavus

Eduard Ehrensteen.

*Lit. C.*

Nos CAROLVS GVSTAVVS Dei Gratia, Suecorum, Gothorum, Wandalorumque Rex, Magnus Princeps Finlandiæ, Dux Scaniæ, Esthoniæ, Careliæ, Bremæ, Verdæ, Stetini Pomeraniæ, Cassubiæ & Wandaliæ, Princeps Rugiæ, Dominus Ingriæ & Wismariæ; nec non Comes Palatinus Rheni, Bavariæ, Juliaci, Cliviæ & Montium Dux. Celsissimo Principi, Consanguineo, Affini & Amico Nostro charissimo Domino JOHANNI GEORGIO II. Saxoniæ Duci, Sac. Rom. Imp. Archimareschallo, Electori, & ejusdem Imperij ijs in locis, quæ jure utuntur Saxonico Vicario, Landgravio Thuringiæ, Marchioni Misniæ, nec non Superioris & Inferioris Lusatiæ, Burggravio Magdeburgensi Salutem & prosperos rerum successus.

CElsissime Princeps, Consanguinee, Affinis & Amice charissime. Quandoquidem divino quodam munere post exantlatos belli labores & pericula, quæ ab hac regni Nostri parte aliquamdiu sustinuimus, desideratam & quod optavimus semper securam pacem adepti videmur, intermittere non possumus, quin lætitiæ exinde Nobis subnatæ Dilectionem quoque Vestram participem faciamus, utpote quam Nobis hoc proprium sibi quoque commune gaudium facturam speremus. Deus velit inspirare cordibus eorum, quorum in manu est, pacem Nobiscum colere, mentem tranquillam atque studia eò collimantia finesque ac terras Dilectionis Vestræ diutissimè custodire: quo pace, qua gavisa hactenus est, perpetua absque interruptione frui queat. Votum præterea Nostrum est, ut cum omnibus Nostris hostibus reconciliari queamus, quibus & pacem prolixe obtulimus jam diu, & ab ijsdem honestam acceptare parati sumus. Dolemus autem nonnullis Nostris malevolis, atque inter eos præcipuè Domui Austriacæ, internecina sua odia adversus Nos exercere ita volupe esse, ut non modo injurias & damna Nobis & Nostro Regno Provincijsque inferat, primum occultis & subdolis machinationibus, cuniculis, artibus & supplantationibus, postremo quoque manifesto bello, vi & armis, adeoque has injurias per se & alios sine fine, nociturisque S. Rom. Imperio vinculis accumulet, planè contra vigorem legum publicarum, & Imperij Romani reverentiam, etiam sub orbitate ejusdem, sed etiam (quod magnopere Nos afficit) omnes Nostras amicabiliter oblatas aperturas ad reconciliationem adeo contemptui habeat, ut non solum pacis voces, sed nec magnorum in Imperio principum authoritatem aut adhortationem admittere in animum sustineat. Existimavimus fore ut cum Imperator Ferdinandus III. ex hac vita evocaretur, perniciosa in salutem Christianæ rei consilia mutarentur, aut bellum

bellum, quod pro totius Imperii commodo, si Diis placet, cœptum videri voluit, nec sine Comitiali liberoq; omnium Imperij Statuum suffragio & consensu suscipi debebat, gradum sisteret, saltem quamdiu Electionis actus in incerto esset. Verum constat eum esse atq; fuisse Domus Austriacæ in Nos & Regnum Nostrum sive supinam animi aversionem, & odium, sive proprij interesse studium, eaq; fundamenta jacta rationum illuc facientium, quæ nullo mortis casu mutari poterant, quamvis Interregnum & Vacantia Imperij evidentissimis periculis eò ipso objiceretur. Dissimulare equidem statuit Domus Austriaca animo destinata, dum de Corona Imperii agitaretur, intra Poloniam coercens sua arma, dum alienis ad Provincias Nostras in Germania desolandas uteretur, pacem tamen ubivis supplantans; sed cum certior esset facta de sceptro adipiscendo, non dubitavit fœderibus offensivis, imò vindicativis etiam, ut ministri ejus jactitant, cum externis Regibus & Electore Brandeburgico, submissis etiam ad suos Generales mandatis, ea propositi sui indicia proferre, quæ nos dubitare prohibent, quin simul corona Imperiali potita fuerit, sicut antea in Polonia, ita in Germania bellum omnibus viribus sit exsecutura. In talium tamq; periculosarum machinationum continuatione, non alia Nobis remedia suppetebant, quam ut explicato per Ministros Nostros certissimè imminente periculo, Sacri Rom. Imperij Electorum, Principum & Statuum guarantiam in Instrumento Pacis comprehensam compellaremus, atq; interea nullas omninò occasiones omitteremus, quibus divortia animorum componerentur, & Instrumenti pacis Leges sartæ tectæ conservarentur. Evenit autem ut sub tanto tempore, quo hoc continuè insinamus responsum nullum reddatur ab Imperio, ne dum guarantia ullibi appareat, nec conditio reconciliationis ulla ab Domo Austriaca acceptetur, quin illa exasperata magis, oblationes Nostras aspernetur, & vaga in Polonia belli incendia conatu omni in Germaniam trajicere amplius non veretur. Cùm verò hoc ipso integritas Pactorum Osnabrugensium fidesq; publica vehementer deteratur, Nobis verò periculi magnitudo in dies succrescat, adeò ut conservationem Nostri & Provinciarum Nostrarum, non nisi in extremis necessitatis minis collocatam videamus, solenni ad Collegium Electorale & universos Sac. Rom. Imperij Ordines Legatione, denuo pacis restabiliendæ conditiones non modo acceptare, sed etiam offerre decrevimus, dummodo sac. Rom. Imperium de non amplius pacem Germanicam turbando, nec Nos & Provincias Nostras ullo deinceps modo violando caveat. Utinam Status & Ordines Imperij hanc intentionem Nostram sic cordi sibi habere vellent, quo & Nos voti Nostri damnemur, & proposita tam salutaria condignus comitaretur effectus. Cæteros verò inter pacis cultores haud dubitamus vel in primis numerare Dilectionē Vestr. quæ ut præcipuum Imperii, præsertim eodem vacante fulcrum, plurimum momenti curandæ publicæ tran-

 quilli-

quillitati allatura est, si manum operi admovere nō detractet. Ac proinde eandem hiscè amice requirimus, velit auxiliarem manum addere, ac operi omnium saluberrimo succurrere, quo pace tuto & absque impeditione frui liceat. Arbitramur autem expedire cùm Universo Imperio, tùm Dil. Vestr. Statui & Terris, non permittere aut Nos perpetua violentia Austriaca supra modum aggravari, vel ejus Caussa periculum aliquod in viciniam suam attrahi. Unde animo tanto certior spes Nobis subjicitur, fore, ut Dil. Vestr. cum ob æquitatem Caussæ Nostræ, tum etiam communes periculi avertendi rationes, eam adhibeat operam, quo tempestates, quibus Rempublicam committere Domus Austriaca tentat, in tempore sedari & refrænari possint. Dedit Deus Dil. Vestr. autoritatem non exiguam inter Imperij Constatus, nec inutilem fore sanorum Consiliorum operam confidimus, si quod æquitas & ratio suadet, justo animi vigore actum & tractatum fuerit, à Nobis quanquam nihil desideratum hactenus sit, quod sanandis vulneribus non adhibuimus, nihil tamen deinceps omittemus, dummodo oblationibus & Consilijs bonus locus aliquis relinqui possit. Quibus Dil. Vestr. divinæ protectioni ex animo commendamus. Dedimus Goteburgi die 28. May 1658. Anno

Dilectionis Vestræ
*Bonus Consanguineus, Affinis & Amicus*
Carolus Gustavus

Eduard Ehrensteen.

---

*Lit. D.*

## Serenissime & Potentissime Rex,
Domine Amice,

DUm eam, quæ ex parte Seren. Sveciæ Reginæ in conclusione pacis Osnabrugensis cum perpetua nominis sui laude interposita fuit, sollicitudinem perpendimus, & gloriosissimum Regiæ Dignitatis & Maj. Vestr. studium quo sinceram prædictæ pacis executionem Norimbergæ promovit, ipsoque facto cum immortali gloria sua sincerè præstitit, memoriâ recolimus, non possumus non dolere, quod fax belli Germanici tantis curis & laboribus vixdum extincta inter Vestr. & Poloniæ Regias Dign. & Maj. iterum inflammata fuerit, & tantus nunc ignis exortus sit, ut nisi sedatis & benignis utriusque Regis animis quantocius refrigeretur & extinguatur, non tantum Regnum Poloniæ, sed & vicinas Germaniæ, præsertim verò utriusque Circuli Saxonici provincias correpturus esse videatur. Cum igitur fundamentalis Sac. Rom. Imperij lex id potissimum nostræ curæ injungat, ut securitati publicæ omni studio prospiciamus, ut Regiæ Dign. & Maj.

Vestr. eadem sit laudabilis intentio, prout non tantum confidimus, & etiam per Ablegatum suum desuper identidem certi facti sumus, Eandem diligenter & peramanter rogamus, ut eum Ser. Poloniæ Rege similiter ad pacem proclivi, & ad illam à Nobis pariter rogato, eos, qui jam cœpti sunt, pacis tractatus, quam citissimè fieri poterit, æquis conditionibus ad finem promovere, & sepositâ præteritorum memoriâ, factaq; fida pace tum inter se, tum qui ijsdem bellis involvi videntur, & Regiam Hungariæ Dign. & Maj. ac Nostrum Coelectorem Serenissimum Brandenburgicum, perpetuam, veram, & sinceram amicitiam stabilire, hocq; gloriosissimo Regis & Germani Principis facto, & funestis illis facibus constanter extinctis, Nos, omnesq; Imperij Principes & Status, præsertim verò dictos Saxoniæ Circulos, utpote periculo viciniores, cum alijs adjacentibus provincijs publicæ tranquillitatis securos reddere velit, interea autem confidimus, utramque partem prospecturam, nullus Sac. Rom. Imperij Status ejusque subditi per invasiones, transitus, hospitationes, exactiones, aut alio modo quacunque militari molestia afficiantur. Prout etiam Regia Dignitas & Maj. Vestr. in hac re publicum Imperij interesse concernente in novissimo Circuli superioris Saxonici conventu ita se facturam per Legatos suos publicè recepit. Devinciet certè sibi totum Imperium maximoperè ad gratitudinem nunquam intermorituram, & simul ad omnia officia quæ Nos Eidem promptissima offerimus, & omnem Regiam felicitatem ex animo apprecamur. Dabantur in Conventu Electorali Francofurti ad Mœnum 4. May 1658.

Nomine Collegij Electoralis.

*Ad*

Regem Sueciæ.

---

*Lit. E.*

Nos CAROLVS GVSTAVVS Dei gratia Suecorum, Gothorum, Wandalorumque Rex, Magnus Princeps Finlandiæ, Dux Scaniæ, Esthoniæ, Careliæ, Bremæ, Verdæ, Stetini Pomeraniæ, Cassubiæ & Wandaliæ, Princeps Rugiæ, Dominus Ingriæ & Wismariæ; nec non Comes Palatinus Rheni, Bavariæ, Juliaci, Cliviæ & Montium Dux &c. Reverendissimis & Celsissimis, Consanguineis & Amicis Nostris charissimis, Sac. Rom. Imperij Electoribus & respectivè Vicarijs, Salutem & prosperos rerum successus.

REVERENDISSIMI ET CELSISSIMI Sacri Romani Imperij ELECTORES & respectivè Vicarij, Consanguinei & Amici charissimi,

Quas

Quas ad Nos nomine totius inclyti Collegij Electoralis dederunt Dil. Vestræ literas, paucos dies antequam navem conscenderemus Gotheburgo Nostro ad Exercitum trajecturi, rectè accepimus, ac ex ijsdem didicimus, vigere adhuc in memoria Dil. Vestr. Serenissimæ ac Potentissimæ Reginæ Christinæ in pace procuranda, tum etiam nostram in ejusdem executione additam curam; dolere autem Dil. Vestr. Nos inter & Regem Regnumque Poloniæ eam subnatam esse belli flammam, quæ nisi proposito aliquo remedio restingvatur, Germania ipsa, atque imprimis utriusque Saxonici Circuli Provinciæ facilè corripi & involvi possint: Cum igitur lex fundamentalis Dil. Vestr. injungat partes prospiciendi, ne Imperium detrimenti aliquid capiat, Nos rogandos ratæ sunt, ut cum nonmodo Rege Poloniæ ad pacem proclivi, sed etiam cum illis, qui ijsdem bellis involvi videntur, Rege Hungariæ & Electore Brandeburgico, sepofita præteritorum memoria, perpetuam, veram & sinceram amicitiam restabilire velimus; quo ipso Dil. Vestr. dicunt, Nos totum Sac. Rom. Imperium, Ejusque status & membra, vehementer Nobis devincturos esse.

Nos equidem lætamur residere adhuc in animis Dil. Vestr. Regni Sveciæ merita in reducendâ libertate Germanica, & immensos labores in pace ejusdem quondam resarcienda, atque pro eodem amore, quo in Germaniæ salutem constanter ferimur, facere non possumus, quin circa hanc occasionem Dil. Vestr. studia, quæ pro Imperij tranquillitate declarare conantur, impensè laudemus, invicem Dil. Vestr. amicè rogantes velint in suscepto tam pulchro proposito pertendere gnaviter, quò laudem quam eo ipso mereri aggrediuntur, solidam & perfectam sibi efficiant. Quod Nos attinet non dubitamus Dil. Vestr. constare, quanta & quam fida studia pro pace Germaniæ non minus sarta tecta conservanda, quam olim procuranda impenderimus. Dolemus autem & Nos studia Nostra & bonam intentionem, non modò favorem non mereri, apud nonnullos qui tenore legum publicarum in eundem scopum Nobiscum contendere deberent, sed reperiri etiam quosdam atque inter eos potissimum, quos Dil. Vestr. in suis literis nominarunt, Regem Hungariæ & Electorem Brandeburg., qui clanculum & palam jamdiu non nisi hostilia miscent, & hoc quidem sub religione publicæ piæque fidei; nec meliora in quantum ex omni apparatu futura assequi licet, Nobis indè exspectanda veniunt. Nunc verò ut paulò altius rem repetamus, non potest Dil. Vestr. esse obscurum, quantam operam, curam & industriam Sveci impenderint desiderijs Ordinum Rom. Imperij explendis, cum flagrante adhuc Imperio Romano belli flammis, & cogitationes nonnullorum animos occuparent, ut reductam pacem omninò cuperent, & de condendis inter partes belligerantes certis tranquillitatis legibus ageretur, non quod necessitas omninò ita svaderet, præcipuas & eminentiores tunc armorum partes tenentibus, sed quia bellum gerebatur,

tur, quod ad votum confœderatorum & Adhærentium atque in salutem Imperij terminari debebat. Erant enim tunc temporis arma Suecorum, non solum integra, sed per Divinam opem, tanto Exercitus robore, locorum opportunitate, fortalitijs, Castellis & fortuna munita, ut pacem vel sollicitare, vel invitis obtrudere, haudquaquam opus esset, quin si dicendum quod res est, magnarum prærogativarum privatione Sueciæ, & pacis conditiones constiterunt, evacuatis tot munitis locis, quæ diuturnæ conservationi Nostri facile præsidia largiri potuissent. Neque Nobis obscurum fuit, fore, quod eventus posteà docuit, Domum Austriacam ad exercendum suum adversus Nos odium, tum invalidiorem, sub pacis prætextu & specie aliàs vindicandi vias & rationes quæsituram esse, id quod potuissemus armorum virtute quidem antevertere, si bello insistendum fuisset, sed quia quieti Rom. Imperij sic consulendum nonnulli utile iudicarunt, eorundem & reliquorum Imperij membrorum instantissimis obtestationibus, & prolixè oblatæ assecurationi, potius quàm armorum rigori obsequendum erat. Rati tamen sumus sanctum & inviolabile fore quod promittebatur, si non ex interna inclinatione animi Domus Austriacæ, & certa verborum ejusdem custodia: saltem confidimus tutos Nos fore Guarantia & assecuratione Electorum, Principum, Statuum, & omnium Imperij Ordinum, qui hac ipsa pace, & quidem Artic. 8. velut postliminio eam recuperarunt libertatem, authoritatem & jura, ut si Imperator pro lubitu & solus habenas Imperij tractare tentaret, immoderatum cum eo Dominatum dividerent; aut si promissorum & fidei publicæ religionem parum pensi haberet, vel Instrumentum Pacis toties ratificatum post terga relinquere non verecundaretur, in Imperio vel extra illud in ejusdem præjudicium aliquid moliturus, tunc virtute recuperatæ auctoritatis ijdem Electores, Principes & Status Imperij in eo omninò essent, ne ad eundem scopulum navis bis impingeret, aut vulnus sanatione tardissimum refricaretur, quin periculis Imperio emergentibus mox obviam irent, eamque adhiberent medicinam, quæ conservationi tanti corporis conveniret. Si verò placet Dil. Vestr. memoriâ replicare, qualem se Domus Austriaca in Pacis negotio semper præbuerit, deprehendent eandem nihil minus quàm quietis & Pacis studia in animo fovisse, etiam tum, cum pacem maximè venditaret. Quàm enim tardam & invitam non modò ad conclusionem, sed etiam ad Tractatus Westphalici initia sese comprobavit, adhuc in recenti Dil. Vestr. est memoria. Paucorum dierum opus Præliminare in aliquot annorum spatium producendum erat, non aliam ob causam, quam ut diversus armorum Nostrorum vices opperiretur. In ipso deinceps Tractatu, quot artes submixtæ, in dissolvendis fœderatorum & Nobis Adhærentium animis, quo debilitata fortuna Nostra successum pacis irritum redderet! quot demum ambiguitates fabricatæ, ne solida & diuturna pax fieret! Hæc omnia quanquam Regno Sveciæ non injustam subji-

cerent tum delitescentis doli, & fabricæ fidei suspicionem; nihil tamen omisit, in suscepto pacis studio, quin eodem tenore & constantia perrexit, maxime verò in gratiam Ordinum Imperij, quanquam cum non exigua sua jactura, curabat. In hunc etiam finem collimarunt labores Nostri Norimbergici, cum Regni Sueciæ armorum generalis per Germaniam directio Nobis commissa esset. Atque hoc manifestum omnibus est, nisi sub favore armorum executio stetisset, nihil omninò eorum quæ conventa erant, effectui fuisse datum. Cuncta enim quæ restabant exequenda, cum depositis Suecorum armis, adhuc quæsitis studijs, aut dubia redduntur aut irrita. Sed neque in eo solum animus ad justam quietem aversus emicuit. Vix finitus erat Tractatus Norimbergensis, priusquam Cæsar contra Pactorum genuinum sensum, & publicam fidem, partim copias & auxilia in provincias inferioris Germaniæ atque Italiam contra Galliam mitteret, partim congressus Sueciam inter & Poloniam Lubecæ institutos supplantaret, ac civitatem Capitulumque Bremense contra Nos in obstinatione confirmaret, & ab debito officio, contra rationes prius à se ut justissimas pronunciatas, abstraheret. Quia verò hæc singula non apertâ vi, sed dolo, occultis machinationibus & cuniculis agitabantur, passa est Antecessor nostra dissimulatione eam & silentio sic transmitti; Nobis verò Imperij Suecici sceptra adeptis, nihil fuit magis cordi aut curæ quàm ut cum dicta civitate Bremensi interposito reconciliationis tractatu ac opere ipso, palam faceremus pacis & tranquillitatis publicæ custodiæ omnia Nos posthabere velle, etiam ea, quæ uti jure, ita nec adeò multo labore Nobis potuissent accedere. Eadem Nos cura semper insedit postea alijs, ac potissimùm Polonico bello occupatos, ne scilicet ullis incursionibus hostilibus Germaniæ fines infestarentur. Ex qua verò & quàm necessaria causa, natum Nobis hoc sit bellum, aliunde ea de re Dil. Vestr. informatis, supervacaneum est enumerare. Nisi enim Rex Poloniæ super cæteras, quas aucupatus semper est occasiones inhiandi Regno Sueciæ, Nobis & Domui potissimum Nostræ invidisset Regni summam, non solum tunc cum universo consensu Statuum Suecicorum sceptro destinaremur, sed etiam circa Antecessoris Nostræ abdicationem, cum per Emissarium suum Canasiles, contra translationem Imperij apertè protestaretur, adeoque inter subditos Nostros disseminasset periculosos & ad rebellionem tendentes discursus, vel etiam postquam ab hocce apparuit Nos esse læsos, & actum contra Pacta si abstinuisset fœderibus, correspondentijs & hostilibus machinationibus in præjudicium Nostri, Regni Nostri, haud dubiè legibus Induciarum ad præscriptum terminum stetissemus. Sed cum Pacta Induciarum, quæ stricti juris sunt, violarentur, plurimaque pararentur in præjudicium Status Nostri terra & mari, nec spes solidæ pacis (quippe Congressibus elusis & dehortationibus spretis) ullibi prominerct, eò fuit recurrendum, ubi periculum præverti & securitas tutiùs quærenda videbatur. Tot enim

itera-

iteratis admonitionibus adduci non potuerunt Poloni, ut legitima Plenipotentia munitis Legatis, certum aliquod indicium reducendæ pacis ederent, aut tractandi secum copiam revera facerent, priusquam exercitus Noster in procinctu & ipso opere esset, ac armis Nostris in limitibus Poloniæ & Lithuaniæ constitutis, ejus revocandi nisi pace in totum reducta, integrum non esset. Non tamen alia Nobis mens fuit in eo bello, quam ut armis ad pacis cogitata adigeretur Regnum, quod sub Regibus Sigismundo, Vladislao & Johanne Casimiro omnem amicabilem animorum reconciliationem aversabatur. Experti verò sunt & Antecessores Nostri gloriosæ memoriæ, tam Carolus IX. & Gustavus Adolphus, quàm Regina Christina, fore, ut coalescente in Germania pace, eas rationes Domus Austriaca deinde iniret, quæ ad firmandam amicitiam facerent. Atque cum Nos in hoc bello Polonico nihil habuerimus antiquius aut prius, quàm ut fines Germaniæ ab insultibus & incursionibus qualibuscunque liberarentur, sperabamus Imperatorem Romanum tam ob communes Imperij incolumitatis rationes, quàm ob pacem sanctè initam Nobiscum facturum fuisse. Qualem verò in eo sese gesserit, quamque religiosè pacis Germaniæ leges observaverit eadem Domus, Dilectionibus Vestris palam factum est ex Memorialibus quæ Ablegatus Noster Extraordinarius Francofurti Ordinariæ primùm Deputationi, posteà etiam Dilectionibus Vestris insinuavit. Tantum etiam abest, ut applausus vel auxilium ab Imperatore pro cura, sincero studio & bona intentione Nostra mereremur, ut contraria omnia potiùs experiremur, tam in eo, quod post impeditos omnes in Polonia Tractatus apparatus, suscitatumque in Nos Serenissimum Daniæ Regem, aperto hos ipse bello adoriretur, quàm quod in Germania, vicinisque Nobis Regnis, & tota ferè Europa in deteriorem partem Nostras actiones interpretaretur, in eum maximè finem, ut cum ei commodum esset, ac animos quos licitatus est, favore maturos haberet, in Romano Nos Imperio tanto facilius aggrederetur, omnium odijs oneratos. Cum itaque Domus Austriaca hoc modo turbas Polonicas & aliena bella pro suo usu & emolumento disponat, ita ut nec Nobis cum hoste Nostro extra Romanum Imperium agere, nec in Germania pacis bono frui liceat, nisi ex utilitate, imaginario foro & mensura Austriaca, *mirum nemini videri debet, vix dum extincta Germaniæ flamma alium posse exoriri ignem, qui innocentes provincias secum in discrimen facile trahat.* Conveniens itaque est, non modò fundamentali legi Sacri Romani Imperij, sed ipsi etiam rationi & necessitati, ut rebus sic comparatis prospiciatur publicæ securitati per Imperium. Unde & Nos ea omnia circumspeximus quæsivimusq; media, quæ periculis prævertendis, & pacis, quam restituere ipsimet conati sumus, cõservationi inservitura putavimus, missis ad Dil. V. & omnes pariter Imperij Status, literis Nostris & Ministris, qui de appropinquantibus machinationibus,

 & mini-

& minitantibus malis, non modò in tempore præmonerent, sed etiam urgerent mutuùm promissam in Instrumento Pacis guarantiam & assecurationem. Eò quoque negotium operâ & studio Illustrissimi & Reverendissimi Dn. Electoris Moguntini provectum esse intelleximus, ut habita aliqua rationum Nostrarum consideratione, deliberationi super re non contemnenda dies & locus statueretur, ac præterea bonum & publico utili factum, meliora sentientibus probaretur, si non modò Memorialia Ablegati Nostri dictarentur, sed etiam continuatio Deputationis Imperij in tempore dubio permaneret, utpotè quæ primitus in eum finem fuit instituta, ac supremis Comitijs Ratisbonensibus confirmata, ut securitati Imperij, & urgentibus belli periculis amoliendis prospiceret. Ne tamen hoc fieri posset, evicit eadem Domus Austriaca, quæ ut alibi bona consilia impedit, ita ejusdem Directorium inutile ibi, quantum in se fuit, & nullam Imperij Deputationem pronuntiavit, atque adeò vehementer rationes bonorum corrupit, ut pro salute publica sententiam suam dicturis, nec sessionis nec loci copia fieret: quin eò insuper res redacta est, ut cùm neque Nos, neque Gallia injurias illatas armis vindicare, vel vim vi statim cohibere vellemus, sed nostros legatos eò mitteremus, ad repræsentandum pericula per lubrica pacis impendentia, deque maturis remedijs monendum, inventi sunt qui loco debiti responsi & exspectatæ declarationis reddendæ, auctores essent, uti Legati publicè salutaria suadentes, urbe Francofurtensi ejicerentur, & juris gentium beneficio privarentur. Quin igitur hæ injuriæ majorem in modum Nos afficiant, non credimus dubitare Dil. Vestr. præsertim cum ad summa Nobis injuncta damna & injurias, adjiciatur insuper, intolerabilis contemtus, ita, ut cum Nos offeramus ad Tractatus & Reconciliationis vias promtissimos, non modò sanæ rationes non admittantur, sed etiam post spretas conditiones honestas, Elector Brandeburgicus, in tales tamque perniciosas bono publico partes attrahatur. Concepimus equidem de hoc Electore eam spem, ut Fœderibus diversis atque indissolubilibus, Nobiscum devinctum, haud ita facilè ulla res in transversum ageret, præsertim cũ eidem omnia ea deferrentur, quæ vel vi fœderis, vel sub amicitiæ specie flagitare posset: vel si sollicitari omninò à constantia animi sui indoleque pateretur, *nullatenus amicitiam Nostram sic labefacturum existimavimus, ut nobiscum haud mitiùs quàm cum hoste agendum censeret*, quos equidem in conscientia novit, nulla in re sese offendisse; exploratum tamen est, Eundem in Austriam nimiùm quàm propensum, Polonisque temerata antiquiori nobiscum amicitia, novo vinculo ligatum adversus Nos, tanquam *communem hostem*, non modò cum dicta Domo & Polonia, sed etiam tempora aucupatum, *ut tot hostibus gravatis Nobis*, pariter ille incumberet, cum Daniæ Rege fœdera partim offensiva, partim defensiva inire non distulisse, sed effectivam armorum societatem pro invadendis nostris provincijs in Germania, quas tanto sanguine, laboribus &

curis

curis acquisivimus, frequenter & instanter sollicitasse & ursisse. Atque ne intereà dum ea conjunctio differtur, nihil effecisse videatur contra jura gentium & Imperij constitutiones, negationem innocentis transitus ad hostes Nostros Nobis denuntiat; naves nostras & illis impositas merces in portus suos, tanquam ad amicum & socium venientes, ut & subditorum nostrorum intercipit; Officiales & milites nostros per suas terras sine damno & noxa tendentes, partim carceri, partim suæ mancipat militiæ; quin è contra transitum Polonis in Imperium, non modò lubens indulsit, sed omni modo opitulatus, viam eis monstravit, quâ tergo nostro inhærerere & provincias nostras perdere possent. Quod verò cum universo exercitu hactenus in Nos non moverit, ejus jam diu ad bellum accincti, nullares alia pausam dedit, nisi quòd tempus propositis effectui jungendis non satis maturum & opportunum adhuc videretur, præsertim ex quo cum vicino Nobis Regno Daniæ benignâ pace Nos Deus bearet. Quantum ergò ad Domum Austriacam ejusque offensivè & defensivè fœderatum Electorem Brandeburgicum attinet, in ijs perexiguam fidei publicæ reverentiam residere satis superque sensimus, utpote qui è contra firmissimis, quæ aut reperiri possunt, vel usurpari solent, terminis erecta pacta & fœdera, agere non dubitant, si modò occasio suppetit. Atque cum iniquis nostris temporibus, cum in eos nec metus à nobis proficisci posset, atque securissimos ab ea parte Nos fore putaremus, *contra fidei sanctimoniam* in exterminationem nostri conspirare non vererentur, dubium non est, quin ansa rui sus præbita animo radicatum odium, omni vi executuri sint, nisi nobis met ipsis per Divinam opem Nos prospexerimus, ac eas inierimus rationes pro conservatione nostri, quas necessitatis leges repererint. In hac rerum fortuna constituti, speravimus equidem futurum, ut oblationibus nostris ab hostibus spretis, atque Nobis planè contra promissa & Pacta conventa indignè tractatis, à Dilect. Vestr. atque Imperio aliqua nostri cura ageretur, munimentumque aliquod securitatis contra talem vim instrumento Pacis conforme ordinaretur; quo intuitu conditioneque, *in novissimo Circuli Saxonici conventu* recepimus Nos nemini ulla molestia militari graves futuros; sed cum comperiamus, non modò nihil in favorem nostri Francofurti hactenus & quidem tanto tempore, quo in conspectu totius mundi indigna & haud ferenda patimur, actum esse, sed nec spem meliorum satis condignam subjici, quandoquidem eo ipso ferè tempore, quo Conventus dicti Circuli superioris Saxoniæ haberetur, ab Electore Brandeburgico clanculùm perversa consilia fabricata esse nunc cognoscamus, ac posteà fœdera contra Nos inita, & in perniciem provinciarum & Regni nostri veluti conjuratum, atque eadem res ubivis etiamnum sine intermissione agitetur, mirari non debent Dil. Vestr. si cessantibus per pacta debitis adminiculis securitatis, Nobis necessitas imponatur, ea media circumspiciendi & amplectendi, quæ *Deus & natura in con-*

 *servatio-*

*ſervationem & ſecuritatem Noſtri & Provinciarum noſtrarum ſupereſſe ſivit.* Non poſſumus tamen intermittere, quin Dilectionibus Veſtris lætitiam Noſtram teſtificemur, ex eo quod meliora ſentientes, ſaltem bonam ſuam intentionem declarare, inſuper non habeant; quodque in pacis cuſtodia integrum animum figere videantur. Confidimus etiam fore, ut penſitatis ab omni parte publicæ rei rationibus, inimicorum Noſtrorum moliminum, nulla in re ſeſe participes faciant, nec belli contra Nos, tanto ſtudio viribusque præparati facibus, in præjudicium Noſtri ſeſe implicent, quin in bonis pacis conſilijs pro tuenda Imperij tranquillitate, & Inſtrumenti Pacis illibata cura conſtanter perſeverent. Nos quamquam eas injurias, contemptum & damna paſſi ſimus, quæ Noſtri Miniſtri aliàs uberiùs Dilectionibus Veſtris expoſuerunt, ne tamen à pacis reſtabilienda propoſito quicquam deſiſtamus, ſuper cæteros Noſtros Miniſtros denuò ad Dilectiones Veſtras Legatum Plenipotentiarium, ſupremum Noſtrum Cubicularium, Comitem Nicolaum Brahe miſimus, qui jam iter ſuum ingreſſus, brevi unà cum Ablegato hactenus Noſtro ad Dilectiones Veſtras & reliquos Imperij Status, Matthia Biörenklou, perpetuum Noſtrum ſtudium Germaniæ paci dicatum, rurſus iterabit, & unà cum Dilectionibus Veſtris ea conſilia indagare conabitur, quæ diuturnæ Sacri Romani Imperij paci inſervire poſſint. Dilectionum Veſtrarum eſt, prompta & tempeſtiva malis ingruentibus adhibere remedia, quandoquidem eò locorum res Noſtras, atque vim & machinationes Nobis malevolentium perveniſſe videmus, ut toties ſub fidei publicæ religione deluſis, perque apertè contra Nos pacta fœdera, diſcrimini deſtinatis, non liceat Nobis eſſe ſecuris, niſi id quod verbis & ore adeoque pactis in ſpeciem quidem validiſſimis, ſed effectu inanibus, præfertur, reapſe de hinc præſtetur & comprobetur. Sin verò res contemptim & negligenter curatur, verendum eſt, ut remedio conveniens poſteà locus fieri queat. *Nos verò in eo caſu proteſtamur coram Deo & toto orbe*, Nos excuſari & culpâ vacare velle, ſi poſthabitis Noſtris admonitionibus, & Inſtrumenti Pacis cura, ea ſubſequantur, quæ majores dein incommoditates ex ſe generare valeant. Intereà Dilectiones Veſtras certo certius aſſecuramus & recipimus, nihil Nos contra Imperij Romani *pacem, aut cujusquam in particulari quietem* quicquam tentaturos, ſed hoc tantum deficientibus alijs medijs acturos, quod in neceſſitate conſtitutis, jus faſque gentium ad defenſionem Noſtri commodat, atque proindè à Dilectionibus Veſtris amicè etiam atque etiam requirimus, ut tutiora quàm hactenus præſidia parare velint, quò deinceps non Nobis ſolum, ſed etiam univerſo Imperio pacis non lenocinia, ſed veri ejuſdem & ſinceri fructus, cum cujusque rei propriæ certiori poſſeſſione & provinciarum ac-

quiſitarum

quiſitarum tuta conſervatione obtingere queant. Quibus Dil. Veſtr. &c. Flensburgi d. 18. Junij, Anno 1658.

Dilectionum Veſtrarum

*Bonus Conſanguineus & Amicus*

Carolus Guſtavus.

Eduard Ehrenſteen.

---

*Lit. F.*

SAcræ Regiæ Majeſtatis Sueciæ infrà ſcriptus Ablegatus Extraordinarius ſupervacaneum eſſe judicat uberius repræſentare Eminentiſſimis & Sereniſſimis Sac. Rom. Imperij Electoribus in quo nunc ſtatu res ſint, qvùm præter diverſa ab ipſo exhibita Memorialia, inſuper altiſſimè memorata S. Reg. Maj. proprijs ſuis literis, ſcriptis cùm Goteburgo ad binos ex Collegio Electorali ſeparatim, tum Flensburgo de die 18. proximè præteriti Menſis Junij ad integrum Electorale Collegium, id tempeſtivè & ſatis abundè fecerit. Quandoquidem verò eidem Suecico Ablegato ne verbo quidem hactenus, nomine Collegij reſponſum eſt, & dies Electioni (ut fertur) dicta jam appropinquat, ideo ab auguſto Electorali Collegio reverenter petit, ut ante dicti Ablegati ex hac urbe diſceſſum, tot exhibitis Memorialibus & Regijs cumprimis literis, adeoque ipſi rei ſatis urgenti, conveniens & ſcripto comprehenſum adipiscatur reſponſum. Francofurti ad Mœnum d. 5. & 15. Julij, Anno 1658.

M. Biörenklou.

---

*Lit. G.*

CUm Sacri Romani Imperij Electores, Principes & Status cum Seren. & Potent. Rege Sueciæ, eam quam Osnabrugis inierunt pacem, conſtanter & ſincerè continuare deſiderent, nihilque magis exoptent. Ideo Collegium Electorale

rale diversa à Domino Ablegato exhibita Memorialia maturè deliberando, & eorum postulatis secundum æquitatis & Justitiæ normam satisfacere desiderando, nullum esse salubrius remedium judicavit, quàm ut ad Pacis Sueco-Polonicæ redintegrationem utrumque Seren. & Potentiss. Regem, ut & Seren. Electorem Brandenburgicum officiosissimis literis ad pacem sine mora stabiliendam amicè & instantissimè rogaret & hortaretur, quod cùm secundum junctas copias sub Num. 1. 2. 3. fecerit, simulque Seren. & Potentissimum Hungariæ & Bohemiæ Regem rogarit, ut ex Num. 4. constat, & ad rei tàm sanctæ & necessariæ majorem festinationem, etiam ad altè memoratos Reges belligerantes, & Electorem Brandenburgicum Ablegatos suos miserit, nuncque intelligat, eos pacis tractatus inchoatos vel mox inchoandos esse. Confidit, quod Deo adjuvante intra breve tempus optatus effectus obtineri poterit, ad quem si quid ultra facere possit, omni studio paratissimum erit, eique fini apud Regem Hungariæ & Bohemiæ, hîc præsentem, omnem operam ulterius impendere non intermittet, prout etiam in Regia Capitulatione futurum Regem Romanorum ad idem officium juxta Num. 5. obligavit. Scit quoque Seren. ac Potent. Regem Sueciæ paratum ad ea, quæ Instrumentum pacis requirit, & ad pacem omnibus viribus promovendam, prout etiam Seren. & Potent. Rex Poloniæ, & Seren. Elector Brandenburgicus tàm per literas quàm Legatos suos, maximum pacis desiderium & ad eam quotidie paratos se esse ajunt & offerunt. Ceterùm Seren. & & Potent. Sueciæ Regi amicitiam, officia & studia sua offert, & Domino Ablegato omnem propensam affectionem. Datum Francofurti ad Mœnum d. 17. Julij, An. 1658.

(*L.S.*)

Moguntina Electoralis Cancellaria.

---

Num. I.

## Serenissime & Potentissime Rex,

Domine Amice,

DUm eam, quæ ex parte Seren. Sveciæ Reginæ in conclusione pacis Osnabrugensis cum perpetua nominis sui laude interposita fuit, sollicitudinem perpendimus, & gloriosissimum Regiæ Dignitatis & Maj. Vestr. studium quo sinceram prædictæ pacis executionem Norimbergæ promovit, ipsoque facto cum immortali

immortali gloria sua sincerè præstitit, memoriâ recolimus, non possumus non dolere, quod fax belli Germanici tantis curis & laboribus vixdum extincta inter Vestr. & Poloniæ Regias Dign. & Maj. iterum inflammata fuerit, & tantus nunc ignis exortus sit, ut nisi sedatis & benignis utriusque Regis animis quantocius refrigeretur & extinguatur, non tantum Regnum Poloniæ, sed & vicinas Germaniæ, præsertim verò utriusque Circuli Saxonici provincias correpturus esse videatur. Cum igitur fundamentalis Sac Rom. Imperij lex id potissimum nostræ curæ injungat, ut securitati publicæ omni studio prospiciamus, ut Regiæ Dign. & Maj. Vestr. eadem sit laudabilis intentio, prout nō tantùm confidimus, & etiam per Ablegatum suum desuper identidem certi facti sumus. Eandem diligenter & peramanter rogamus, ut cùm Serenissimo Poloniæ Rege similiter ad pacem proclivi, & ad illam à Nobis pariter rogato, eos, qui jam cœpti sunt, pacis tractatus, quàm citissimè fieri poterit, æquis conditionibus ad finem promovere, & seposita præteritorum memoriâ, factaque fida pace tum inter se, tum qui ijsdem bellis involvi videntur, & Regiam Hungariæ Dignitatem & Majestatem ac nostrum Coelectorem Serenissimum Brandeburgicum, perpetuam, veram, & sinceram amicitiam stabilire, hocque gloriosissimo Regis & Germani Principis facto, & funestis illis facibus constanter extinctis, Nos, omnesque Imperij Principes & Status, præsertim verò dictos Saxoniæ Circulos, utpote periculo viciniores, cum alijs adjacentibus provincijs publicæ tranquillitatis securos reddere velit, interea autem confidimus, utramque partem prospecturam, ne ullos Sacri Romani Imperij Status ejusque subditi per invasiones, transitus, hospitationes, exactiones, aut alio modo quacunque militari molestia afficiantur. Prout etiam Regia Dignitas & Majestas Vestra in hac re publicum Imperij interesse concernente in novissimo Circuli superioris Saxonici conventu ita se facturam per Legatos suos publicè recepit. Devinciet certè sibi totum Imperium maximoperè ad gratitudinem nunquam intermorituram, & simul ad omnia officia quæ Nos Eidem promptissima offerimus, & omnem Regiam felicitatem ex animo apprecamur: Dabantur in Conventu Electorali Francofurti ad Mœnum 4. May. Anno 1658.

Nomine Collegij Electoralis

*Ad*

## Regem Sueciæ.

Num. II.

# Serenissime & Potentissime Rex,

COnstat palam, quàm funestis bellis ferè à Principio hujus seculi per triginta annos continuatis per Romanum Imperium, omnesque ejus Circuli fuerint oppressi, dilacerati, exhausti, & quàm difficulter pax tandem perpetua, veraq; & sincera amicitia inter belligerantes Monasterij & Osnabrugis Westphalorum ante Novennium fuerit conclusa, eique à Principalium transigentium parte Regia Dignitas & Maj. Vestr. non minus quàm omnes alij vicini Reges, Principes & Resp. inclusi, unde non immeritò omnes boni nobiscum illis condolent, qui in dictæ pacis limine de novo miserijs bellicis sunt implicati; Cùm autem secundùm fundamentales Imperij Leges id nostri potissimum muneris sit, ut patriæ saluti & Publicæ securitati, ut optime fieri poterit, consulamus, & is belli ignis, qui jam diu in florentissimi ali.s Poloniæ Regni visceribus sævit, nunc aliarum partium accessione crudescere, & magis magisque serpere videatur, timendumque sit, ne unà cum Regia Dign. & Maj. Vestr. etiam vicinos utriusque Saxoniæ Circulos implicet, prout querelæ desuper multoties inde ad nos allatæ contestantur, non possumus, quin Regiam Vestr. Dign. & Maj. pro eo, quod semper coluit, pacis studio, sedulò hortemur & peramanter rogemus ut cum Seren. Sueciæ Rege, utpote, secundùm contestationes nobis iteratò factas, sine dubio similitèr æquis conditionibus ad pacem proclivi, eos sine mora pacis tractatus concludat, quos ad mutuam ipsorum amicitiam, & utriusque, ut & Imperij Romano Germanici utilitatem & securitatem, præcipuè verò firmum regni Polonici stabilimentum, à sinceris Regijs, & arctô sanguinis vinculô conjunctis animis facilè & gloriosè finiri posse non dubitamus; & confidimus, quod intereà neutra pars, ullum S. R. Imperij Statum ejusque subditos, per incursiones, vel invasiones, exactiones, transitus, hospitations, aut alias quascunque militares molestias gravabit. Obligabit Regia Dign. & Maj. Vestr. præter afflictam Rempublicam suam, Nos & omnes S. R. Imperij Principes & Status singularissimè, quin & totam, Europam, quod Regnum antemurale quàm diutissimè salvum & incolume esse exoptat, dùm sic vovemus, & voti nos compotes fore confidimus, Regiæ Dign. & Maj. Vestr. omnem prosperitatem apprecamur, & paratissima officia nostra offerimus. Dabantur ex Conventu Electorali Francofurti ad Mœnum, 4. May. An. 1658.

Collegium Electorale

*Ad*

Regem Poloniæ.

Durch-

Num. III.

## Durchleuchtiger/ rc.

EUer Ld. vnd Churfürstl. Durchl. ist ohne zweiffel von deroselben zu diesem Wahltag geschichter Pad- vnd Gesandschafft/ über diese Wahlhandlung/ vnd in specie gebührender Bericht einkommen/ was massen die gemeine Reichs-Sicherheit/ vnd wie im Heil. Röm. Reich beständiger Fried vnd Ruhstand zu erhalten vnd fortzupflantzen seyn möge/ vor allen andren dingen vmb deßwillen in gehörige fleissige Consideration zu ziehen/ vor gut vnd sehr nöthig angesehen worden/ weil auß den/ zwischen den Cronen Polen vnd Schweden neulich entstandener/ vnd vorhin vnter Spanien vnd Franckreich von langer zeit hero/ wie noch hafftenden hochschädlichen Kriegen deß Heil. röm. Reichs eines vnd andern Orts angräntzenden Churfürsten vnd Ständen allerhand Gefährligkeiten vor Augen vnd zu besorgen stehen. Dieweil dann deßfals vor heilsam vnd gut angesehen vnd geschlossen worden/ daß zu Beförderung allerseits Friedschliessung bewegliche Schrifftliche Erinnerungen ohne Verzug abgehen zu lassen seyn/ wie ab den Beylagen N. 1. 2. 3. 4. 5. mit mehrerm zu ersehen vnd daß ingleichen Ew. Ld. vnd Churfürstl. Durchl. zu diesem zweck freundliches vnd vnterthäniges fleiß vmb kräfftig/ Assistentz vnd Mitwürckung zu ersuchen/ damit Sie in krafft tragenden Churfürstl. Ambts ebenmässige gute Beförderung deßhalben mit Beytragen/ vnd in diesem hochangelegenen Werck Ihre/ wie jederzeit vnd noch zu Stifftung Ruhe/ Fried vnd Einigkeit erzeigte Begierde/ dahin sonderbar erweisen wollen/ auff daß die in Polen abermal bevorstehende Weitläufftigkeiten deemahln ohnverzüglich gestillet/ vnd mit hin daß Römische Reich/ vnser geliebtes Vatterland/ von allem dannenhero besorgten vnd leichtlich weiter außbrechenden Vnheil in zeiten verwahrt werde.

Als ersuchen vnd bitten Ew. Ld. vnd Churfürstl. Durchl. hiemit freundlich vnd vnterthänig/ sie wollen Ihr dem gemeinen Vatterland zum besten/ dieses hohe Werck/ wie sie doch ohne vnsere Erinnerung von selbsten darzu geneigt seyn/ bestmüglichst dergestalt incaminiren vnd facilitiren helffen/ damit die beyde Königl. Würd. vnd Maj. nechst Zurückstell- vnd Vergessung alles dessen/ was zwischen Ihnen vorgangen seyn mag/ je eher/ je besser/ vnd zwar ehe es wieder zum Feldzug komme/ wiederumb gute Einig- vnd Vertreuligkeit stifften/ vnd Ihro mit Vergiessung viel Christen-Bluts gegen einander führende Krieg gäntzlich hinlegen/ inmittels aber beyderseits erbieten auch der Schuldigkeit gemäß in die Reichslanden keine Irruption oder Invasion vornehmen lassen mö-

gen. Vnd gleich wie wir zu Ew. Ld. vnd Churf. Durchl. hierin ein sonderbahres ohnzweiffliches Vertrauen vnd unterhänigste Zuversicht setzen / also wünschen wir darzu allen glücklichen Success von Hertzen / dieselbe damit in GOttes deß Allmächtigen starcke Beschirmung freud- treulich vnnd vnterthänigst empfehlend. Datum vff dem Wahltag zu Franckfurt den 4. May 1658.

Das sämptliche Churfürstliche Collegium
An
Chur Brandenburg.

---

Num. IV.

Stylus.

Durchleuchtigster / rc.

Ew. Königl. Würd. und Maj. erinnern sich guter massen / vnd ist an sich selbst weltkündig / mit was getreuem Vätterlichem Eiffer dero H. Vatter die Röm. Kays. Majest. Ferdinand der Dritte glorwürdigsten vnd Christseligsten Andenckens / deß H. Röm. Reichs Wohlfahrt vñ Sicherheit Ihr jederzeit haben angelegen / vnd zu demselben end keine Mühe noch Kosten zuwider seyn lassen / damit der hochnöthige vnd Männiglich erwünscht Fried zu Münster vnd Osnabrück in Westphalen geschlossen / vnd zu beständiger Execution gebracht / mithin das liebe Vatterland Teutscher Nation sampt allen Ihren Erb-Königreichen vnd Landen in guten ruhestand gesetzt werden möge: Vnd es gereicht solches S. Kays. Mayt. zu immerwehrendem / Lob / Ehr / Ruhm / vnd Danck. Dieweil nun aber die vor wenig Jahren in Teutschland außgeleschte Kriegs-Flam zwischen beeden zu Polen vnd Schweden Königl. Würd. vnd Majest. wider alles Verhoffen in Preussen vnd dem Königreich Polen wiederumb angezündet / vnd nun selbiges Feuer durch eine vnd andere darzu gekommene Accessionen dermassen hoch auffgestiegen ist / vnd je länger je mehr vmb sich greiffet / daß sich auch daß Röm. Reichs / bevorab deren nechstangräntzenden Ober- vnd Nieder Sächsischen Craissen Landen deßhalben in grosser Gefahr begrieffen zu seyn beklagen / ingleichen Ew. Königl. Würd. und Majest. in dero gegen gedachten Polen vnd Preussen anstossenden Erb-Königreich / vnd Landen ohnzweifflich

ohnzweifflich nicht ausser Gefahr stehen / bey welcher Beschaffenheit in Krafft tragenden Churfürstl. Ambts / vnd zu dem Röm. Reich habender Pflichten vns billich mit fleissiger Sorgfalt abgelegen seyn will / daß durch alle thünliche mittel die empor steigende Gefährligkeiten ohnverzüglich mit bestand abgewendet werden mögen / vnd vns dann der beeden zu Polen vnd Schweden Königlichen Würd. vnd Majest. höchstrühmlich beywohnende Friedfertigkeit in so weit bekant ist / daß wir in dero ohnverlängter Wiedervereinigung keinen zweiffel setzen / wann nur sothane Ihre gute Inclinationes wie laut beygehender Copien von vns schrifftlich beschehen / vermittels Ew. Königl. Würd. vnd Majest. derorts habender gestanden mit angelegenem Ernst vnd Eiffer vnterhalten / vnd zu dem erwünschten hochnöhtigen Effect alles fleiß befordert werden mögten. Als ist vnd gelangt an Ew. Königl. Würd. vnd Majest. vnsere inständige / vnd vnterthänigste Bitt / Sie wollen Ihro zu Fried / Ruhe / vnd Einigkeit beywohnende Begierde in diesem dem H. Römischen Reich vnd Ihr selbsten höchstangelegegen Werck kräfftig erscheinen lassen / vnd die gute Hand zu deroselben immerwehrenden höchsten Ruhm / vnd aller Churfürsten vnd Stand Dancknehmigen Gemüther ewiger Devincirung / obgedachter beede Cronen je eher je besser durch schrifft- vnd mündliches bewegliches Zusprechen zu beförderlichem Schluß Ihrer obhabender Friedens Tractaten erinnern / disponiren vnd facilitiren derselben der Orts anwesenden Abgesandten auch neben Persönlichen Contestation, vnd Versicherung Ihrer zu den beeden Cronen beständig tragender guter Affection vnd Freundschafft dahin ersuchen / damit Sie auch Ihres Orts / so viel möglich seyn würd / durch ersprießliche Officia zu schleuniger Abwendung dieses zwischen solchen Christlichen Potentaten / verfangenen blutigen Kriegs bey den beeden Kön. Würd. vnd Majest. zu verhelffen / jhnen eusserstem fleiß wollen angelegen seyn lassen / vnd gleichwie hierdurch auch der liebe Fried / vnd allgemeine Sicherheit im Röm. Reich erhalten kan werden. Also getrösten wir vns würcklicher Willfahr / vnd ehister Volnziehung. Wormit Ew. Kön. Würd. vnd Majest. zu langwieriger guter Gesundheit / vnd allem Wohlergehen / Gottes gnadenreicher Beschirmung freund. vnd vnterthänigst treulichst befohlen. Datum auff dem Wahltag zu Franckfurt am Mayn den 4. May 1658.

Vom

Churfürstlichen Collegio.

An

König zu Hungarn vnd Böheim.

Num. V.

# Art 14. Capitulationis Cæſareæ.

DAmit aber das Heil. Reich ſeines beſtändigen Friedenſtands geſichert bleibe/ſollen vnd wollen Wir ſo bald nach vnſerer Erhebung zu Kayſerl. Regierung vns vor allem euſerſt angelegen halten / auff daß zwiſchen beeden meiſtens in deß Creiß vnd aigenthumen Kriegenden Cronen die Friedens Tractaten in Teutſchland würcklich angeſtelt/vnd jhren Königreichen vnd Vnterthanen/auch der algemeinen Chriſtenheit vnd dem gantzen Heil. Reich zum beſten / vermittelſt Göttlicher Gnad Verleihung ehiſt geſchloſſen / gleichfals auch die Polniſche Friedens-Handlung vnverlanget befürdert / vnd zu völligem Schluß beſchleuniget werde.

---

*Lit. H.*

## Nos CAROLVS GVSTAVVS &c. Sereniſſimo & Celſiſſimo Principi Conſanguineo & Amico Noſtro chariſſimo Domino Friderico Wilhelmo &c. Salutem &c.

SEreniſſime & Celſiſſime Princeps, Conſanguinee & Amice chariſſime, ad nullam unquam expeditionem invito magis animo, quam nunc in Celſ. Veſtr. El. Ducatum acceſſimus: non quòd non jam diu juſtas indignationis & belli cauſas habeamus; ſed quòd amicitiæ noſtræ fundamenta, jura & commoda, ut & innocentia Subditorum, Sacris ijsdem nobiscum gaudentium, mitiora omnia ſuadeant, cumprimis ut Cel. Veſtr. El. ſpacium cogitandi indulgeamus; & intereà militem quoad fieri poteſt, à violentijs cohibeamus. In eum finem die 3. hujus menſis literas noſtras cum Celſ. Veſtr. El. Legato & Conſiliario Freiſtadio expedivimus. Et quia heri demum reſponſum nobis de die 9. & 19. hujus menſis Regiomonti ſcriptum, deſuper eſt relatum, coacti ſumus hâc interpoſitâ morâ arma noſtra in viſcera Ducalis Boruſſiæ proferre, ut hic tantò propiùs Celſ. Veſtr. El. ultimam reſolutionem cognoſcamus. Conatur Cel. Veſtr. El. in ſupradictis ſuis literis culpam turbatæ amicitiæ à ſe amoliri & eam in nos conferre, inter alia, allegans, primùm quòd noſtri Miniſtri & quidem publicâ apud Celſ. Veſtr. Elect. Legatione fungentes, ſibi indicarint, quæ nos in animo haberemus de Portubus Pillavienſi & Memelenſi,

Memelensi, nobis adeò necessarijs; deindè quòd Stetini sub initium Tractatuum à nobis præsentibus, non modo prædicti portus, sed & in illis Teloneorum participatio & Commerciorum directio, aliaque durissima flagitarentur; & quòd nos non modo ab indigitatis non potuerimus dimoveri, sed nova etiam existimationem & Securitatem Cels. Vestr. El. afficientia postulata conatibus Cels. Vestr. El. opposuerimus: Accesserunt Campi-Mareschalli nostri Comitis Wittembergij literæ, quibus Cels. Vestr. El. Generalibus scripserat se copias, quas Cels. Vestr. El. nomine in Borussiam essent ducturi, pro hostibus habiturum & excepturum: Imò nos Legatis Cels. Vestr. El. apud nos subsistentibus sæpius indicasse, nos cum Cels. Vestr. El. in Borussia non aliter, atque cum hoste atque alio Poloniæ Statu acturos. Hæc & alia, quæ in nos ibi cumulantur, nisi quodque eorum ad tempora sua & in ijs nata Consilia, expendantur, facilè imperitos rerum utrinque gestarum in sinistras de nobis Cogitationes conjecerint: Itaque brevibus faciem rei Cels. Vestr. El. ob oculos ponemus, ut vel ipsa actionum suarum meminisse possit, vel si injussu ejus quædam gesta sunt, de ijs ulteriorem rationem ineat. Perpendentibus nobis mutuæ àmicitiæ vincula, Sanguinis scilicet propinquitatem, ditionum utriusque vicinitatem, Jurium item & rationum communionem, atque adeò nostras utrinque benefaciendi oportunitates, facilè persuasum fuit Cels. Vestr. El. contestationes non in labris, sed imis sinceri animi penetralibus esse natas. Neque alienos nos à mutua propensione ostendimus, qui mox post suscepta Regni nostri Sceptra priores Cels. Vestr. El. per Ministrum nostrum invisimus & omnibus deindè occasionibus pignora sinceri animi Cels. Vestr. El. exhibuimus. Nihil equidem dicto nostro ministro in mandatis dedimus, quo reus possit peragi indicationis alicujus de portubus Pillaviensi & Memelensi. Et nescimus quis alius ex nostra mente secretum tale, quod animum nostrum nunquam occupavit, evulgasset! Excutiantur omnes discursus & cognoscetur ex nimia & intempestiva sollicitudine natam esse hanc suspicionem. Tantum verò abest ut dictos portus quærere ex nobis ipsis intenderimus, ut decreto contra Poloniam Bello, parati fuerimus assecurare Cel. Vestr. El. nihil exindè damni in Cels. Vestr. El. proventum iri, modò Cels. Vestr. El. intra suos terminos se contineret, & nobis in nullo officeret. Verùm Cels. Vestr. El. arctiori adhuc unionis vinculo nobiscum vinciri cupiens, ultrò primùm per Principalem suum ministrum, & deindè ipsa propria persona Residenti nostro ad Aulam suam significavit, sibi & antecessoribus suis Ducibus Borussiæ jamdiu tot à Regibus & Repub. Poloniæ ingesta esse gravamina, ut quando nullum in justis querelis remedium sit inventum, aliam viam ijs excutiendis esse quærendam & dudum quæsitam fuisse: Si ergò placeret nobis adsciscere Cel. V. El. in belli socium, & in compensationem & satisfactionem onerum belli promittere, eidem non modo Episcopatum Warmiensem titulo & jure Secularis

Ducatus,

Ducatus, sed etiam partem Samogithiæ & Lithuaniæ: atque adeò dictum Warmiensem Ducatum, & Samogithiæ, Lithuaniæque partes unà cum Borussia Ducali in plenum & absolutum Dominium eidem confirmare, & in eo tueri, tum velle Cels. Vestr. El. usque in finem belli contra Poloniam & alios huic motui sese immiscentes fideliter nobis adsistere. Et ut tanti propositi Consilium in Secreto haberetur & in Poloniam non emanaret, additum est, paucos ejus esse conscios. Nobis in tantum hostem moturis & non nisi ingenua ab amico Principe expectantibus non displicuit Cels. Vestr. El. intentio & Societas armorum: neque conditiones nobis propositæ impossibiles, sed immensæ videbantur. Constitutis ergo Commissarijs, qui mense Majo proximè præterito cum Cels. Vestr. El. ministris congrederentur, injunctum à nobis fuit, ut (citra tamen Scopi principalis læsionem) istis duabus attemperandis operam omnem, studiumq; impenderent. Quod verò portus istos duos Pillaviensem & Memelensem, participationem teloniorum & Commerciorum Directionem posteà prætenderimus, Caussas habuimus & justas & necessarias. Et ut à postremo postulatorum, Commerciorum directione nunc inchoemus, Nos equidem tum novimus Regibus & Reipublicæ Poloniæ tam ratione Regiæ Borussiæ, quam directi Dominij in Ducalem Borussiam non exigua competere jura: quæ verò in particulari tum ferint, non ità in promptu fuit discernere. De jure itaque Regis & Reipublicæ Poloniæ conventuris, cautione utique opus erat, dum cuique competentia jura elicerentur. In ejusmodi pars altera alterius rationes indagat, non ut suis, si nullo fundamento nitantur, insistat, sed ut cognitis fundamentis tantò securius paciscatur. Participatione teloniorum vulgò Licenten vocatorum, quid justius à nobis prætendi unquam in tali Casu potuit? Introduxit illa gloriosissimæ memoriæ prædecessor & avunculus noster, Rex Gustavus Magnus jure belli. Et cum vigore pactorum inducialium novissimorum deberent tolli, de facto à Cel. Vestr. El. tanto tempore contra pacta continuantur. Licuit itaque nobis, sivè nostrum respectu Sueciæ jus, sivè fœdus cum Cels. Vestr. El. & Regiam Borussiam spectemus, in hanc quæstionem venire & continuandi telonij participationem jure optimo nobis asserere: idque eò magis quod merces, à quibus vectigal exigeretur, æquè à Regia Borussia ac Ducali descendant; atque ideò Cels. Vestr. El. non possit sola de jure sibi ullos proventus arrogare. Quod attinet portuum Pillaviensis & Memelensis postulatum, si Cels. Vestr. El. Ministri occasionem, Caussas & quousque illis potiri voluerimus, maturè & sincerè explicuerunt, jam ipsa ex se nos illa suspicione liberavit, quasi loca illa undè salus & securitas Ducalis Borussiæ dependere dicitur, obtentu solius nostræ utilitatis prætenderimus. Cum in procinctu discedendi è Regno nostro staremus & deindè præterito mense Julio in Pomeraniam essemus, delati intelleximus Cels. Vestr. El. eodem tempore quo nos ad commune fœdus contra Polo-

niam

niam invitat & super eodem nobiscum tractatum init, in præjudicium jurium nostrorum & quidem ejusdem contra Poloniam expeditionis summum impedimentum, in unito Belgio fœdus moliri. Suasimus itaque ut si prius, quam noster tractatus initium sumsit, alter in Belgio esset inchoatus, cæpto tum demum desisteret. Sed ubi sine ulla nostrorum monitorum consideratione, Belgicum tractatum urgeri audivimus, utiq; jure postulavimus, ut, si Cel. Vestr. El. omninò vellet belgicum tractatum perficere & seriò tamen nobiscum ageret, nobis ideò in finem usque belli duos istos portus Pillaviensem & Memelensem pro securitate nostra detinendos permitteret. Legatio Celſ. Vestr. El. parum pensi habens circumstantias hujus justi nostri postulati, loco adæquatæ responsionis minas acerbas & nescimus quas ex barbaris & ipso orco contra nos arcessendas suppetias jactans, Stetino discessit. Cum ergo Stetini adhuc consistentes illicò copias Celſ. Vestr. El. in Electoratu & Pomerania convocari audivimus, non sinè causa Campi Marceschallo nostro Comiti Wittembergio in Majori Polonia constituto mandavimus, ut talia & loquentibus & agentibus Electoralibus ministris, frequentatisque tum Correspondentiis inter Poloniam & Celſ. Vestr. El. aulam sibi prospiceret, admoneretque etiam Celſ. Vestr. El. Generales, ut quandiu fœdere non essemus conjuncti, vel nos melius de Celſ. Vestr. El. intentione certiorati, cum Exercitu Borussiam non intrarent, nisi pro hostibus haberi vellent. Paulò post ipsi è Pomerania movimus atque in illo itinere die 4. Augusti ad nos, limites Poloniæ tum ingressuros, venit Celſ. Vestr. El. Legatio ad reassumendum priorem tractatum. An dici possit, nos tum ab indigitatis suprà postulatis nullo modo potuisse dimoveri, atq; nova subindè & existimationem & securitatem Celſ. Vestr. El. afficientia conatibus Vestris opposuisse, ipsa ex conscientiæ suæ dictamine judicet. Novit Celſ. Vestr El Nos tum condescendisse in Borussiæ Ducalis & Warmensis Episcopatus supremum & liberum Regimen, reservato tantum Nobis & Nostris successoribus aliquali beneficentiæ jure: novit nos voluisse liberare eandem canone illo annuo: novit etiam nos abstitisse prætensione portuum Pillaviensis & Memelensis Quod verò vicissim participationi teloniorum inhæserimus, & simul postulaverimus ut fœdus in Belgio ictum eatenus cessaret, quatenus huic à nobis ineundo præjudicaret, nemo talium rerum æquus æstimator nobis vitio vertet. Quid præter cætera sæpè memorata postulata in Borussiam Ducalem prætenderimus, quia non exprimitur, Nos quoq; ignoramus: nisi forte qualitatem dependentiæ & investituræ intellectum vult. Desideravit equidem Celſ. Vestr. El. dictorum Ducatuum plenum & absolutum Dominium: sed postmodum nostræ remonstrationis intuitu, Legatio ejusdem exhibito nobis die 9. Augusti projecto suo in Rogosno, agnovit Celſ. Vestr. El. in perpetuum animi devinctissimi testimonium velle à nobis & corona Sueciæ sæpedictos Ducatus Bo-

 russiæ

russiæ & Warmiensem in feudum recognoscere. Ecquid aliud à nobis in sequentis diei projecto exigitur, quod gravissimi postulati nomine posset indigitari? Et quandoquidem Cels. Vest. Elect. nunc est contenta tum in Rogosno oblatis, cur tantopere Rogosniana postulata incusat? Quin imò Cels. Vest. El. Legatio abiens visa nobis est obtinuisse suum Scopum, nisi quod caussabatur sese super quibusdam non satis instructam & propterea velle ulteriora à Celsit. Vest. El. mandata requirere. Nos freti Cels. Vest. El. contestationibus firmandi rem semel adeò religiosè inchoatam & tractari cæptam, non in Borussiam, sed versus majorem & minorem Poloniam arma nostra vertimus. Dum d. 5. Sept. circa Opozno substitimus tertia vice ad nos venit sæpedicta Cels. Vest. El. Legatio afferens nobis literas Cels. Vest. El. propriâ manu scriptas, & pristinum, eumq; infucatum erga nos amorem spirantes. Ubi verò dicta Legatio in Rem præsentem & ad ipsum tractatum reassumendum venit, nihil ferè priorum accordatorum illæsum reliquit: excogitatæ sunt rationes, quibus conventarum Conditionum aliæ limitarentur, aliæ exceptionibus enervarentur & totus tractatus in nihilum redigeretur. Intereà & dum Cels. Vest. El. Legatio sub velo continuandi tractatum nobis imponere studet, urgetur à Cels. Vest. El in Belgio non modò commutatio ratificationum, sed classis etiam mare Balthicum contra nos intratura. Exaggeruntur etiam passim propositi nostri perversitas & postulatorum iniquitas: quasi à nobis omnia pervenissent, & Cels. Vest. El. nihil contra jura amicitiæ admisisset. Invitatur etiam Borussiæ & Vicini Poloniæ Palatinatus ad communem contra nos defensionem. Si nos talia deprehendentes Legatis Cels. Vest. El. dicimus, nos, si Cels. Vest. El. in his actionibus perseveraret, velle eandem non aliter atq; cum hoste aut Poloniæ aliquo statu agere, haud præter meritum nos talia locutos existimamus. Quod verò Cels. Vestr. El. Legatio tanto tempore apud nos detenta sit, non nobis, qui accordatis inhærere voluimus, & discedere cupientes in nullo, nisi fortè aliquantùm per continuas belli actiones, sumus remorati, sed potius vel Cels. Vestr. El. intentioni in contraria omnia directæ, vel Legatorum alienis prætensionibus erit imputandum. Cel. Vest. El. potuit intra terminos amicitiæ consistere, & tum vel dandâ à nobis scriptâ assecuratione, vel verbo Regio tuta in suis ditionibus manere. Sed ipsa elegit belli societatem, qua intentione, sinceràne, an verò ut nos eâ opinione distineret, dum ipsa posset armari, ipsius conscientiæ relinquimus. Certè cum in Belli communionem contra Poloniam reciperetur, aliquandiu partes fœderati sequi visa est, sed mox in contrarium versa, nulla non hostilitatis indicia verbis & re ipsa nobis ostendit. Quod se Borussiæ quibusdam Statibus, consilia & fortunam Regis Casimiri sequentibus associare voluerit, quàm maximè nos afficit. Erant, fatemur, dicti Borussiæ Regiæ Status nondum omnes à nobis subjugati & belli jure nobis

subditi

ſubditi: ſed manſit illos eadem quæ cæteros fortuna; & inter Poloniæ Status in hoc caſu non niſi beneficio Ordinis fruuntur. Poterunt dictorum Boruſsiæ Statuum contra nos directæ actiones aliqua ratione excuſari, eò quòd nondum vel exercitu noſtro eos adierimus, vel iis protectionem obtulerimus. Et eventus & propria quorundam confeſſio nunc docet, multos eorum magis inſtigatione potentiorum, quàm deſtinatâ operâ in extremam illam defenſionis aleam eſſe prolapſos. Celſ. verò Veſt. El. quæ nos in bellum paratos ſuæ Societatis oblatione magis adhuc animavit, & Boruſſiam Regiam per pacta nobis (ſi ſuas per omnia prætenſiones obtinuiſſet) dudum attribuere cæpit, contra nos Poloniæ & & Boruſſiæ rebus vix ante ſe ingerere potuit, quàm tractatui adhuc duranti debito modo renunciaſſet. Conventum utiq; fuit, ut Regia Boruſſia nobis cederet. In quo propoſito ita religioſa videri voluit Celſ. Veſtr. El. ante tractatus initium, ut nobis adhuc in Suecia exiſtentibus per ſuum Miniſtrum ſignificari fecerit, ſe velle in noſtrum & communis fœderis uſum occupare locum quendam ad Viſtulam. Et cùm Legatio Celſ. Veſt. El. adhuc Crakoviæ apud nos hæreret, miſſus eſt ad nos nobilis quidam Putkamer, ut conteſtaretur Cel. Veſtr. El. cæpiſſe quędam in Boruſſia Regia loca, ſuæ ditioni vicina, ne colluvies perditorum hominum hinc inde ſine alicujus imperio vagantium, ſe ejuſmodi locis infunderet: nobis eadem velle tradere, cùm fœderi ultima manus fuerit impoſita. Nunc confectis novis in præjudicium noſtri fœderibus, oretenus traditionem promittit, reapſe verò in perpetuum retinere intendit. Neq; enim opus eſt monſtrare, an contra nos directum ſit fœdus cum quibusdam Boruſſiæ ordinibus initum; quùm clara ſint verba & conditiones nobis ſatis injurioſæ & iniquæ. Judicet jam Orbis univerſus, imò judicet DEUS unde turbatæ amicitiæ rationes, utrùm à poſtulatis noſtris Rogosnovianis, quæ Cel. Veſtr. El. jam adprobat, & iniquitatis accuſari nequeunt, an verò ab alio aliquo, qui invidia progreſſuum noſtrorum Celſ. Veſtr. El. in nos, nihil tale meritos, animavit, arceſſendæ ſint? utrum lædat qui amicum & ſocium complecti, inque ſuis non modo conſervare ſed auctiorem etiam reddere cupit, an qui contra oblationem propriam & conſtantiam veræ amicitiæ in hoſtilia conſilia, nulla juſta de cauſâ prolapſus, ultima amico detrimenta parare videtur? Ea tamen eſt animi noſtri erga Celſ. Veſtr. El. ejusque inclytam Domum veræ amicitiæ radicibus firmata propenſio, ut ſupradicta omnia perpetuâ oblivione ſepelire velimus, ſi modo aliquando videamus ſerium nobiscum tranſigendi propoſitum: nec tempus teri, ut nobis agendi opportunitates decedant, malevolis verò noſtris accreſcant. Præcipuum & immotum eſt noſtrorum poſtulatorum, ut qui hactenus inter Regem Johannem Caſimirum & Rempublicam Poloniæ ab unâ & Celſ. Veſtr. El. ab altera ratione Ducalis Boruſſiæ viguit nexus, poſthac quoque inter nos Regnumque noſtrum, ut & Celſ. Veſtr. El.

quoque intercedat: Si Celſ. Veſtr. El. aliquid in reliquis mitigatum cupit, de eo ſalva noſtra ſecuritate amicabili & facili ratione convenietur. Quod ſi verò hæc noſtra oblatio nunc non attendatur, fieri poteſt, ut & Provincia penitus devaſtetur, & Celſ. Veſtr. El. excidat tractandi occaſione & bono, eidem & Inclytæ ejus Domui poſthac irreparabili. Quibus Celſ. Veſtr. El. Divinæ tuitioni ſeriò commendamus. Dabantur in Oppido Boruſſiæ Ducalis, Creutzberg die 16. Decemb. Anno 1655.

---

*Lit. L.*

NOtum ſit univerſis & ſingulis, quorum intereſt, aut quomodolibet intereſſe poteſt, quòd quamvis inter Sereniſſimum & Potentiſſimum Principem ac Dominum, Dominum CAROLUM GUSTAVUM, Svecorum, Gothorum, Wandalorumque Regem, Magnum Principem Finlandiæ, Ducem Eſthoniæ, Careliæ, Brehmæ, Verdæ, Stetini Pomeraniæ, Caſſubiæ & Wandaliæ, Principem Rugiæ, Dominum Ingriæ & Wismariæ, nec non Comitem Palatinum Rheni & Bavariæ Ducem, &c. & Sereniſſimum Principem ac Dominum, Dominum FRIDERICUM WILHELMUM, Marchionem Brandeburgenſem, S. Rom. Imperij Archi-Camerarium & Principem Electorem, Magdeburgi, Pruſſiæ, Juliæ, Cliviæ, Montium, Stetini Pomeraniæ, Caſſubiorum Wandalorumque; nec non in Sileſia Crosnæ & Carnoviæ Ducem, Burgravium Norimbergenſem, Principem Halberſtadij & Mindæ, Comitem Marcæ & Ravensbergi, Dominum in Ravenſtein &c. ſuperiore menſe Januarij, 7. die Anni currentis, Conventio facta ſit, in qua amicitia & confidentia, quæ inter Sacram Reg. Maj. Regnumque Sveciæ & ſuam Ser. Electoralem, multis retrò annis viguit, denuo corroborata & confirmata eſt, nihilo minus tamen reſpectivè altiſſimè & altè memoratæ Sacræ Reg. Maj. & Suæ Ser. El. utile ac neceſſarium viſum eſt, pro ſopiendo hoc præſenti in Regno Poloniæ bello & obtinenda pace, utriusque Statui & ſecuritati conveniente, præſertim verò à parte Suæ Ser. Elect. pro defenſione & avertendis irruptionibus hoſtilibus in provincias & ditiones Suæ Ser. Elect. utpote quæ incendio Polonico vicinæ, ac proindè periculo hinc illis imminenti non parum expoſitæ ſunt, ad mutuam devinctionem propius accedere, & ad reducendam utriusque optatam ſecuritatem ſingulare Fœdus inire.

Quapropter & Nos ſubſcripti ab utraque parte Deputati Plenipotentiarij, vigore noſtrorum Mandatorum, ope Divinâ, in Articulos & conditiones convenimus & conſenſimus, quæ ſequuntur.

Primò

I.

Primò sit maneatque inter Sacram Reg. Maj. Ejusque Successores Regnumque Sveciæ ab una, & suam Ser. Elect. Ejusque Posteros & ditiones ab altera parte, firma, infucata & sincera amicitia & confidentia, ita ut una pars, alterius ejusque terrarum, Ditionum & Subditorum emolumentum, commodum & incrementum pro virili procuret, & promoveat, damna verò & jacturas avertat & arceat, simul verò utraque unanimem operam adhibeat, quò infra descriptus Provinciarum, & Districtuum circuitus, in tranquillum statum & adoptatam securamque pacem deduci possit; adeoque ad hunc finem ambæ partes arctius nunc Fœdus ineant, ac arma sua conjungant.

13.

Hæc confœderatio & armorum conjunctio stabilis, solida & indissolubilis vigeat, inter Sacram Reg. Maj. Sueciæ & suam Ser. Elect. Brandeburgensem, ut & eorum respectivè regna, Provincias & ditiones, quoad institutum Pacis in 10. Articulo indigitatum, ope & auxilio Divino, procurari & revocari possit. Quod si verò cum utriusque partis in Polonico hoc bello hostibus præsentibus & futuris, pacis vel Tractatuum aliqua ratio obtigerit, promittit Sacra Reg. Maj. se eos nec sine scitu suæ Seren. Elect. amplecti, nec in ijs, quæ interesse suæ Ser. Elect. concernunt, sine ipsius communicatione ac voluntate concludere velle; Vice versa promittit sua Ser. Elect. cum nullis utriusque partis hostibus, huic bello sese intermiscentibus, nisi sciente & volente Sacra Reg. Maj. separatim se tractare aut concludere velle. Quin potius ambæ partes, omni possibili modo & operâ, actiones suas bellicas, Tractatus & consilia omnia, eò dirigant & componant, quò utriusque partis mutua utilitas & commoda quærantur & curentur; damna verò & jacturæ bonâ fide & pro virili avertantur.

14.

Quemadmodum præsens hoc Fœdus contra nullos, qui ipsimet in sæpememorato Poloniæ circuitu hostiliter sese non ingesserint, initur aut dirigitur, ita (salvo tamen hoc fœdere) aliis fœderibus, amicitiis & obligationibus, nomine tenus verò paci Osnabrugis & Monasterij Westphalorum An. 1648. cum Imperio Romano conclusæ, ut & perpetuis cum Magno Duce Moscoviæ Pactis & amicitiæ legibus nihil derogabit aut detrahet.

Confecta autem sunt à nobis hincindè constitutis & infrà scriptis Plenipotentiariis, hujus Instrumenti duo ejusdem tenoris exemplaria, à Sacra Reg. Maj. & sua Ser. Elect. intra quatriduum ab hac die conclusæ transactionis ratificanda & utrinque permutanda; quorum unum nobis Sacræ Reg. Maj. Plenipotentarijs exhibitum, alterum nobis suæ Ser. Elect. Plenipotentiarijs traditum est. In quorum indubiam fidem & majus robur hoc manuum nostrarum subscriptione, si-

 gillorumq;

gillorumque nostrorum appositione communivimus. Datum Marienburgi d. 15. Junij, Anno 1656.

| | | |
|---|---|---|
| Ericus Oxenstierna Axelij | Siberius Rosenhan | Steno Bielke. |
| (L.S.) | (L.S.) | (L.S.) |
| Georgius Fridericus, Comes in Waldeck | Nicolaus Ernestus de Platen. | Joannes Uldericus Dobrzensky, de Dobrzenitz. |
| (L.S.) | (L.S.) | (L.S.) |

---

*Lit. K.*

Wir Friederich Wilhelm von Gottes Gnaden / Marggraf zu Brandenburg (tot tit.) geben hiemit allen und jeden / weß Standes / Würdens und Wesens die sein / denen dieses zu wissen nöthig / oder in einigerley wege daran gelegen / zu vernehmen / nach dem mit deß Durchleuchtigsten Großmächtigsten Fürstens / Herrn Carl Gustaff / der Schweden (tot. tit.) unsers Hochgeehrten Herrn Vettern und Brudern / verordneten Præsidenten in Pommern / den Vesten / unsern lieben besondern / Johan Nicodemus Lillienströhm / uff Eka / Boo und Eichsen Erbgesessen / der auch veste / unsere geheime Rath / und General Kriegs-Commissarius, auch lieber getreuer Claus Ernst von Platen / uff Quitzo und Demorthin Erbherrn / wegen Marchirung der Kön. Völcker durch unsere Märckische und Hinter-Pommerische Lande als beyderseits hierzu verordnete Commissarij, vermittelst eines auffgerichteten / von Wort zu Wort also lautenden Recesses:

Zu wissen sey hiemit jedermänniglich / demnach bey der zwischen Ihro Königl. Maj. zu Schweden / rc. und Seiner Churfürstl. Durchl. zu Brandenburg / rc. auffgerichteten näheren Verbündnüß und Zusammensetzung der Waffen / unter andern auch vor nöthig befunden worden / wegen Marchirung der Königl. Völcker / auß Teutschland / durch die Churfürstliche Hinter-Pommerische und Märckische Lande / ein gewisses zu verabreden / damit dieselbe mit

mit manier und guter Ordre verrichtet werden mögen/ Ihr Königl. Maj. auch dero Præsidenten in Pommern/ Herr Johan Nicodemi Lillienströhm/ uf Eka/ Boo vnd Eichsen Erbgesessen/ S. Churfürstl. Durchl. aber/ dero geheimen rath/ vnd General Kriegs Commissario Herrn Claus Ernsten von Platen/ uff Quitzo/ vnd Demmothin Erbherrn/ deßwegen Commission auffgetragen/ als haben sich dieselbe alhier zu Marienburg zusammen gethan/ vnd auff beyderseits hohen Principaln Genehmhaltung/ folgender gestalt Vereinigung getroffen.

1.

S. Churfürstl. Durchl. verwilligen/ daß Ihro Königl. Maj. Kriegs-Völcker/ so auß Teutschland nacher Polen destiniret/ durch dero Hinter-Pommerische vnd Märckische Lande/ freye Passage allemal vngehindert haben vnd geniessen sollen/ jedoch auff maaß vnd weise/ wie in folgenden Puncten enthalten.

2.

Wann gute Gelegenheit an Schiffen vnd sonsten vorhanden/ daß die Fußvölcker zu Wasser füglich transportiret werden können; sollen S. Churfürstl. Durchl. Lande/ mit den Märchen/ so viel immer müglich/ verschonet bleiben/ da es aber vngelegen oder beschwerlich dieselbe zu Wasser fort zu schaffen/ verbleibet der Marche zu Lande vor Reuter vnd Fußvölcker frey vnd vnverwehret.

3.

Wann einige Trouppen durch S. Churfürstl. Durchl. Lande gehen/ sol solches/ vnd wohin der Marche gehet/ vnd wie starck die Trouppen seyn/ so wohl der Churfürstl. Neumärckischen/ als Hinter Pommerischen Regierung bey zeiten notificiret werden/ damit dieselbigen/ Commissarien ordnen können/ so den March beywohnen.

4.

Auff seiten Ihro Königl. Maj. sol gleichfals ein Commissarius verordnet werden/ so von Stettin ab/ biß auff die Polnische Gräntze/ der Marche beywohne/ der von Ihro Königl. Maj. dergestalt authorisiret werden soll/ daß jhm die Officirer folgen müssen/ vnd so viel bessere Ordre gehalten werden können.

5.

Die Marchen sollen in S. Churfürstl. Durchl. Landen beschleuniget/ vnd also eingerichtet werden/ daß Sie/ wenn es nur wegen deß Feindes geschehen kan/ einen Streich über Stargardt/ Außwalde/ vnd dann ferner den nechsten wege an die Oerter in Polen/ wohin Sie zu gehen beordret/ marchiren mögen/ gestalt sie über drey oder vier Nachtlager auffs höchste/ in S. Churf. Durchl. Landen nicht nehmen sollen.

6.

Die Trouppen sollen beordret werden/ gute Ordre zu halten/ vnd wegen der

Logirung/

Logirung/den Commissarien zu folgen/ auch den Sommer durch/den mehrern theil nach gut befinden der Commissarien zu campiren, oder in Dörffern zu logiren.

7.

Damit nun die Marchen S.Churf.Durchl.Landen nicht zu schwer fallen mögen/als soll den Marchirenden Trouppen zu Stettin/ etwas an Proviant mit gegeben werden/dabeneben S.Churf.Durchl.in dero Landen thun vff drey oder vier Tagen nöthig Vnterhalt vor die Gemeine / an Brodt vnd Bier/ vnd vor die Officierer die Nothdurfft an essen vnd trincken / doch ohne Vberfluß nebst nothdürfftiger Fourage ohn Entgeld wollen reichen lassen/damit sie sich auch begnügen lassen / vnd ein mehrers nicht fordern / weniger aber die Dörffer brandschätzen oder mit Geld-Contribution vnd andern Zulagen / bey Vermeydung ernster Bestraffung/belegen sollen.

8.

Vorspann vnd Fuhren sollen in S. Churf.Durchl.Landen nicht genommen werden.

9.

Wann eintzige wenige Soldaten vnd Officierer durch reisen / dieselben sollen vmb jhr Geld zehren.

10.

Wann Insolentien vorgehen/soll gebührend gestraffet werden/ vnd die Officierer davor zu antworten/oder den Schaden zu zahlen/oder zu erstatten/schuldig seyn/nach ermässigung beyderseits Commissarien; wann auch einige Partheyen abstreiffen vnd Gewalt verüben / wird denen Hauptleuten vnd Magistraten jedes Orts macht gegeben / solche abstreiffende Partheyen einzuhalten / vnd zu gefänglicher Hafft zu bringen / doch sollen sie solches entweder den Obristen vnter dessen Regiment sie gehören / oder aber der Kön. Pommerischen Regierung so fort notificiren / vnd denselben vff Jhr Begehren die Delinquenten zu gebührlicher Abstraffung wieder abfolgen lassen.

11.

Sollen die Officirer den Commissarien nicht pariren wollen / soll der Königl.nebst dem Churfürstl.die Sache vntersuchen/vnd wie es bewand/einen Bericht/nebenst ihren Gutachten auffsetzen/ vnd vnterschreiben/ darauff Jhro Königl.Maj.die Officierer mit gebührenden ernst ansehen/vnd sie zu Ersetzung alles Schaden anhalten wollen.

Dieses

12.

Dieses alles soll in ein Edict abgefasset / vnd den Officirern sich darnach bey Vermeydung ernster vnnachlässiger Bestraffung / zu richten vnd dawider nicht zu handlen anbefohlen/vnd öffentlich publiciret werden.

13.

Dieses/was alhier abgeredet/wie es in Regard der getroffenen nähern Verbündnuß mit Ihr Königl. Maj. S. Churfürstl. Durchl. auß Affection gegen deroselben freywillig thun; Als ist es nur auff zwey Jahr angesehen; Solte aber der Polnische Krieg länger wehren/ haben sich beyde theile weiter zu vergleichen; Im übrigen aber vnd nach Ablauff der benandten Zeit/bleibet es bey der Disposition deß Instrumenti Pacis, vnd anderer Reichs Satzungen/vnd soll denselbigen hierdurch nicht derogiret seyn. Vhrkündlich ist dieses von obgedachten beyderseits gevolmächtigten Commissarien vnterschrieben vnd versiegelt. Actum Marienburg den 15. Junij 1656.

Johan Nicodemi Lillienströhm

(L.S.)

Claus Ernst von Platen

(L.S.)

Sich eines gewissen verglichen / daß Wir solches in allen seinen Puncten hiermit vnd in krafft dieses ratificiret vnd bestätiget haben wollen/dergestalt/daß sothaner Receß, gleich hetten mit Ihr Königl. Maj. Wir denselben selbst getroffen vnd auffgerichtet/vollkommen gehalten / vnd darwider nicht gehandelt werden solle/ gestalt Wir selbigen in Vhrkund mit eigenen Handen vnterschrieben/vnd mit vnserm Insiegel betrucken lassen/ So geschehen vnd gegeben auff vnser Ampthaus Holland in Preussen/am 19. vnd 29. Junij Anno 1656.

Friederich Wilhelm Churfürst.

(L.S.)

*Lit. L.*

Nos FRIDERICVS WILHELMVS Dei Gratia, Marchio Brandeburgensis (tot. tit.) significamus omnibus & singulis quorum scire hoc interest, quod cum ad Tractatum cum Serenissimo & Potentissimo Principe, Domino CAROLO GUSTAVO, Suecorum, (tot tit.) Domino Cognato, Fratre & Fœderato Nostro colendissimo, Plenipotentiarios Nostros Commissarios constituerimus, eosque sufficientibus mandatis instruxerimus, Illi cum S. Reg. Maj. Plenipotentiarijs Commissarijs congressi, in sequentia pacta, quorum capita omnia & singula hic inserta sunt, atq; hic sequuntur, consenserint.

NOtum testatumque sit universis & singulis quorum interest, aut quomodolibet interesse potest, quod cum post confecta inter Serenissimum & Potentissimum Principem ac Dominum, Dominum CAROLUM GUSTAVUM Dei gratia Svecorum (tot. tit.) & Serenissimum Principem ac Dominum, Dominum FRIDERICUM WILHELMUM Dei gratia Marchionem Brandeburgensem (tot. tit.) Pacta non modo Feudalia, quibus Regiomonti die 7. Januarij st. vet. hoc Anno initis, Seren. Sua El. pro se & suis legitimis Successoribus promisit, se velle Ducatum Borussiæ & Principatum Warmiæ à Sacra Reg. Maj. & Regno Sueciæ in Feudum recognoscere, sed insuper etiam certi cujusdam Fœderis Mariæburgi die 15. Junij st. vet. hoc etiam Anno conclusi, utrinque & à Regia, & El. parte, belli pacisque actionibus, singularia & egregia admodum constantis & sinceræ amicitiæ experimenta & documenta edita, & Sac. R. Maj. Sueciæ, Serenitasque Sua El. hoc tempore invicem contestatæ sint, publicæ cumprimis rei fore proficuum, atque propterea utrique nunc cordi, firmiterque propositum esse, ut eadem mutua amicitia, indissolubili fœdere devincta, in Sacræ Reg. Maj. & Seren. Suæ El. Heredes & Successores propagetur & perpetuetur, simul verò Ser. Sua El. proposuerit, & à Sacra Reg. Maj. peculiariter contenderit, ut supradicta pacta feudalia, die 7. Januarij, Regismonti conclusa, amplius nullam vim & vigorem habeant, sed penitus aboleantur, ipsique Ducatus Borussiæ & Principatus Warmiæ non sint Feudum Sacræ R. Maj. & ejus Successorum Regum & Regni Sueciæ; in locum tamen sæpè nominatorum Pactorum feudalium, mutuum, arctissimum, perpetuumque fœdus utrinque ineatur: Et Sacra Reg. Maj. consideratis diligenter non modo propinqui sibi sanguine & fœderati, optimaque de se & communi causa meriti Principis intentione, & publico bono deditis consilijs & actionibus bellicis & civilibus, sed etiam utilitatibus & emolumentis, quæ & præsenti

præsenti rei communis statui firmando, & posteritati rectè consulendæ, indè emergere poterunt; si scil. Ser. Sua El. ob supra dicta omnia, Princeps summus & supremus, quo ad Ducatum Borussiæ & Principatum Warmiæ sit, & arctissimo propterea fœdere cum Sacra Reg. Maj. & ejusdem Successoribus Regibus & Regno Sueciæ jungatur; animo ideo promptissimo expressura speciale quoddam amicitiæ testimonium, quo Seren. Suam El. ejusque inclutam stirpem complectitur, & sibi eam magis magisque devincire nunc cupit, in abolitionem sæpè dictorum pactorum feudalium, & surrogationem arctissimi & perpetui fœderis condescendit, inque eum finem utrinque postea eo usque collimatum fuit, dum nuperrimis diebus conficiendæ hujus rei causa, Sacra Reg. Maj. Nos plenipotentia debita & sufficientibus mandatis instructos, me videlicet Reg. Suæ Maj. supremum Cubicularium & cohortium prætoriarum Colonellum Christophorum, Colonellum Schlippenbach, Comitem in Schefuede, L.B. in Liufala, Dominum in Salingen, & me Reg. Suæ Maj. Consiliarium Aulicum & Præsidem Ducatuum Bremensis & Verdensis, Matthiam Biörenklou, Hereditarium in Elmenhoff, Wanneſtadt & Tislinge, ut & me Reg. Suæ Maj. Consiliarium, & ad Aulam Ser. Suæ El. Residentem Bartholomæum Wulfsberg, Hereditarium in Engenääs; Ser. verò Suæ El. Nos quoque debita plenipotentia & sufficientibus Mandatis instructos, me videlicet Ser. Suæ El. Consiliarium Status intimum, & negotiorum feudalium Directorem, nec non Serenissimæ Electricis supremum Aulæ præfectum & Capitaneum in Oranienburg, Othonem L.B. de Schwerin, Dominum in Landsberg, Oldewigshagen, nec non Electoratus Brandenburgensis hæreditarium Camerarium, ut & me Fridericum de Jehnä, Ser. Suæ El. Consiliarium Status intimum, invicem congredi, & supradictum negotium inter Nos ventilare, tractare, & demum concludere jusserint: Nosque deindè vigore supradictorum Procuratoriorum & acceptorum Mandatorum, habitis ultro citroq; conferentijs, in sequentes utrinque conditiones, mutuo & unanimi consensu iverimus.

I.

Quemadmodum itaque vigore Pactorum Regismontanorum de 7. Januarij st. vet. hujus Anni initorum, Ducatus Borussiæ & Principatus Warmiæ dicto die in perpetuum à Regno Poloniæ separabatur, ita hoc ipso, & vigore horum pactorum in æternum quoque separatus sit & maneat; adeò ut neque Seren. Sua El. neque ipsius Successores, Ducatum Borussiæ & Principatum Warmiæ ulla ratione Regno Poloniæ, aut ejusdem Vasallagio & dependentiæ imposterum obstringere, sed potius omnibus viribus reniti debeant, ne unquam ad eandem vel similem conjunctionem cum Polonia, vel quocunque alio Regno aut Republica reducantur & veniant.

2.

Quem in finem Sacra Regia Majestas Sueciæ pro se & Successoribus suis Regijs & Regno Sueciæ, nunc & in perpetuum Pacta feudalia, quæ inter Sacram Reg. Maj. & Regnum Sueciæ ab una, & Ser. Suam El. ab altera parte Regiomonti die 7. Januarij hujus 1656. Anni, erecta fuerant, & in quibus præter alia Ser. Sua El. quoque promiserat, se velle prædictum Ducatum Borussiæ & Principatum Warmiæ à Sacra Reg. Maj. Ejusque Successoribus Regibus & Regno Sueciæ in feudum recognoscere, cum omnibus alijs Regiomonti die 7. Januarij præterea initis conventionibus, & subsecuta declaratione Mariæburgensi, d. 15. Junij st. vet. hujus Anni, hoc ipso cum omnibus & singulis suis verbis, clausulis & Articulis inibi comprehensis, irrita & nulla pronuntiat, omnemque ipsis vim, vigorem & effectum, hoc ipso & virtute hujus Pacti penitus & in æternum detrahit, ipsaque dictorum Pactorum Originalia, cum retradi non potuerint, hoc ipso pro retraditis, utrinque scissis, & in cineres redactis habentur, atque in æternum habebuntur, adeò ut pacta hæc abolita, contra Ser. Suam El. & ejus ex legitimo matrimonio descendentes Successores masculos in posterum nulla penitus ratione allegari, vel Sacra Reg. Maj. Ejusque Successores Reges Regnumque Sueciæ illis uti possint vel debeant.

3.

Quod Deus itaque Ter. Opt. Max. felix faustumque esse jubeat, ab hac die & in perpetuum Serenissimus Princeps ac Dominus, Dn. FRIDERICUS WILHELMUS Dei gratia Marchio Brandenburg. (tot. tit.) & Ejusdem ex legitimo matrimonio descendentes Successores masculi, omnes & singuli continuata serie, ratione Ducatus Borussiæ & Principatus Warmiæ, sint & maneant Principes summi & Suverenij, ijsq; Juribus quibus Principes Sumi & independenti potestate pollentes gaudent, vel merito gaudere debent, posthac gaudeant, utantur & fruantur.

6.

Adhæc ut de stabili & sincera amicitia planè nullum supersit dubium, non modò conjunctio ista armorum, quæ die xv. Junij Anni jam currentis Mariæburgi est inita (quatenus hisce ut & nunc confectis Secretis pactis, ipsique adeò Suverenitati seu summæ potestati, non est contraria) virtute hujus Articuli repetita est, & priorem suum vigorem obtineat, sed insuper etiam loco abrogatæ feudalis illius obligationis, quæ ante hac inter Sacram Regiam Maj. & Ser. Suam El. intercessit, Ser. Sua El. & Ejusdem ex linea Ser. Suæ El. descendente mascula Legitimi Successores, ab hac die, quoad supra dictum Ducatum Borussiæ & Principatum Warmiæ, absoluti, Suverenij, Independentesque Principes, & arctissimo quodam fœdere, & ratione eventualis illius Successionis, quæ infra Art. 13. comprehendi-

tur,

tur, Sacræ R. Maj. & Ejusdem *Successoribus* & Regno *Sueciæ*, perpetuo & inviolabiliter conjuncti, & invicem obligati maneant, adeo quidem, ut inter *Sacram* R. Maj. & Ejusdem *Successores* Reges & Regnum *Sueciæ*, & *Ser. Suam* El. & Ejusdem descendentes Legitimos *Successores*, absolutos & *Suverenios* Duces Borussiæ & Principes Warmiæ fœdus & vera amicitia conclusa & stabilita sit.

7.

*Sit* itaque ab hac die inter Sacram R. Maj. & ejusdem Successores Reges & Regnum Sueciæ una; & inter Ser. suam El. & Ejus ex legitimo matrimonio descendentes Successores masculos ab altera parte, firmum, indissolubile & perpetuũ fœdus, mutua fides, ut & constans atque sincera Amicitia eaque seriò semper servetur, & inviolabiliter conservetur, ita ut pars altera alterius & utriusque terrarum, ditionum & subditorum, tanquam propriorum, commoda, utilitatem, honorem & augmenta quærat & promoveat.

8.

Vigore ejusmodi perpetui Fœderis, nulla Pacta aut Fœdera, quæ hactenus utrinque cum alijs confecta fuerunt, vim ullam obtineant (quatenus huic Fœderi & commodo ac bono utrorumq; contrahentium adversantur, neque ulla posthac Pacta aut tractatus in præjudicium & detrimentum hujus Pacti habeantur, aut concludantur. Atq; ideo Sacra R. Maj. & Ser. sua El. pro se, & suis respectivè successoribus, Regnis, Provincijs & ditionibus, ad hoc se mutuò nunc obstringunt, quod in futuro Tractatu cum Rege & Republica Poloniæ, Magniq; Ducatus Lithuaniæ, conjunctis consilijs & viribus, in id studiosissimè incumbere velint. Primum ut Sacra R. Maj. Ejusque Successores Reges & Regnum Sueciæ, eam à Rege & Republ. Poloniæ, Magnique Ducatus Lithuaniæ adipiscantur satisfactionem, quæ Instrumẽti Secreti Art. I. expressa est. Deindè, ut Ser. sua Electoralis & ejusdẽ ex linea Ser. suæ Electoralis descendente mascula legitimi successores, non modò Ducatum Borussiæ, sed etiam Principatum Warmiæ, cum omnibus eorum pertinentijs, & juribus, cumprimis verò absoluta potestate & suverenitate, tutò ac perpetuò habeant & possideant. Si itaque DEO ita dirigente motus & bellum præsens Polonicum componi & sopiri debet, neutra pars ullum de pace facienda Tractatum vel quodcunque cum hoste pactum, nedum ipsam pacem cum eodem hoste initura & conclusura est, nisi altera consenserit, & utriq; parti ex præscripto hujus Articuli, ut & Articulorum primi & secundi in Instrumento secreto satisfactum sit, omnesque & singulæ provinciæ & jura, tàm uni, quàm alteri parti hoc bello, & per futurum cum Rege & Republica Poloniæ, magnique Ducatus Lithuaniæ Tractatum, acquisita & acquirenda, communi pacis Instrumento debitè includantur, ut imprimis ut Ser. sua Electoralis sæpius dictam absolutam potestatem & suverenitatem salvam & integram, absque ullo damno,

 detrimento

detrimento vel incommodo retineat, & tum vigore etiam ejusdem Instrumenti Rex & Respubl. Poloniæ, Magnique Ducatus Lithuaniæ, Juri & prætensioni, quam tum in Provincias Instrumenti secreti Art. I. specificatas, & Sacræ Reg. Majestati ejusque successoribus Regibus & Regno Sveciæ in satisfactionem dandas & tradendas, tum in Ser. suæ Electoralis Ducatum Borussiæ & Principatum Warmiæ hactenus habuere, firmiter & sufficienter renuncient, renunciatumque sit.

Confecta verò horum Pactorum bina ejusdem tenoris exemplaria, hac ipsa die inter utrinque constitutos, & supranominatos Plenipotentiarios Commissarios sunt extradita; à Sac. Reg. Maj. Sveciæ, & Ser. sua Electorali Brandenburgica intra quatuordecim dies à dato conclusæ & subscriptæ hujus transactionis ratificanda, & hinç indè quoque permutanda. In suprascriptorum omnium & singulorum certam & indubiam fidem, majusque robur, hoc ipsum Instrumentum manuum Nostrarum subscriptione, sigillorumque Nostrorum appositione roboravimus. Actum in Arce Labiaviensi, d. 10. Novembris st. v. Anno 1656.

Christophorus Carolus Schlippenbach. (L. S.)

Ottho L. B. à Schwerin. (L. S.)

Matthias Biörenklou. (L. S.)

Fridericus de Jehna. (L. S.)

Bartholomæus Wulfsberg. (L. S.)

Nos itaque FRIDERICUS WILHELMUS (tot. tit.) spondemus atque promittimus, tam Nostro quàm successorum & descendentium Nostrorum nomine, universa & singula capita, pactis suprascriptis comprehensa, bona fide Nos approbare, confirmare & ratihabere, prout eadem etiam præsentibus nunc approbamus, confirmamus & ratihabemus, promittentes verbo Electorali, Nos non modò dictis Pactis posthæc constanter inhæsuros, curaturosque, ut omnia & singula pactorum capita, quæ à Nostra parte promissa sunt, ritè & religiosè observentur, sed etiam impedituros, ne quoquam violentur. In quorum fidem & majus robur hoc Instrumentum manu Nostra subscriptum, sigillo insuper Nostro Electorali muniri jussimus.

Dabantur in Arce Labaviensi d. 23. Novembr. stilo vet. Anno 1656.

Fridericus Wilhelmus
Elector.

Lit. M.

Nos CAROLVS GVSTAVVS, Suecorum &c. Rex &c. Serenissimo & Celsissimo Principi Domino Frederico Wilhelmo.

SErenissime ac Celsissime &c. Non possumus præterire quin Cels. Vestr. Elect. certiorem faciamus innotuisse Nobis ad declinandum imminens periculum, & vindicandam provincijs suis securitatem, Cels. Vestr. Elect. Neutralitatis leges cum hoste communi sanxisse. Non quidem ignoramus subditis suis eam à longo tempore securitatem fuisse expetitam, atque ad avertenda discrimina apud Eandem plurimum valere debuisse, consilia nostra fuerint, cum talis tempestas exsurgere videretur, quæ postea terrori fuit, ac huic fortassis transactioni occasionem dedit; quam potuissemus tunc opera & robustioribus confœderatorum viribus malum illud in herba assopire, sed factum est, nescimus quo consilio, ut res primum sub conjunctione Principis Transylvaniæ retardaretur, donec Fœderatorum vires distraherentur, ac postea etiam quando Nobis inter munimenta Prussiæ, ubi cunctando exercitus rursus facilè consumi posset amplius consultum aut integrum non videretur solis opus subire, quin turbatis sic propositi successibus simul necessitas quædam inevitabilis Nobis imponebatur novis Nostris hostibus, qui indies accumulabantur occurrendi, nisi ijs quoque per cunctationem majorem lædendi licentiam indulgeremus. Sicuti verò nunquàm non operam dedimus Cels. Vestr. El. Status incolumitati, ita circa talem rerum faciem neque omisimus eam curam continuare, ac in necessitatis casu & ubi alijs remedijs diffideretur, cõsensimus equidem ut citra præjudicium Nostri aliquis tractatus institueretur, quo sibi Cels. Vestr. Elect. consulere posset. Beavit interea Nostris actionibus Deus singulari prosperitate contra hostes, ita satis tempestivè secundum spem datam Cels. Vestr. El. adesse potuerimus, quemadmodum & Nos ita comparavimus ut eidem intenti & accincti essemus, nisi Cels. Vestr. Elect. Comiti de Schlippenbach mentem suam sic declarasset, quasi utrinque salutarius judicaretur, ab hac parte copias Nostras sic conjungere, ut viribus unitis conatus hostium refrenarentur. Dum verò hæcce quoque parati præstolamur, ut secundum talem declarationem & significationem advenientis exercitus Cels. Vest. Elect. consilia Nostra disponeremus

neremus ac præsto essemus, quo per modum diversionis malum eò retunderemus, unde proficisci satis constabat, ne secundum intentionem hostis propriam Nobis ruinam acceleraremus. Ecce placuit interea Celss. Vestr. El. posthabita securitatis spe à Nobis subjecta, suarum ditionum certitudini hac ratione prospicere. Qua in re Deum veneramur ut Celss. Vestr. El. ex sententia cedat, eamque securitatem assequatur, quam sibi ipsa proposuerit, & Nos pro conjunctione animorum Nostrorum Eidem libenter optaremus. Cœterum sicuti in id unicè incubuimus, quo statui Celss. Vestr. El. amplior semper accessio fieret, ita non possumus in animum inducere, ut suspicemur inter Celss. Vestr. Elect. & Poloniam quidpiam nunc esse transactum, quod Neutralitatis legibus, aut contestationibus suis novissimis repugnet, aut in præjudicium & detrimentum Nostri vergat; quin potius ea spe ferimur, ut cum frequentibus documentis Celss. Vestr. El. deprehenderit, quanta cum sinceritate cum eadem egerimus, pariter non solum pristinum suum & candidum animum Nobis conservaverit, ut res inter indifferentes Neutralitatis limites constiterit, sed etiam consiliis & persuasionibus ad diversa hortantium deinceps sic obsequutura sit, ut in simul quantum securitatis aut ipsa aut res communis in futurum & longitudinem sibi aliundè polliceri queat, exacta prudentique trutina pensitare dignetur. Nos illibato animo in hæc propendimus semper, ac propterea confidimus fore, ut si Celss. Vestr. El. per necessitatem temporis aliquid concesserit & transegerit, ea prudentia hoc moderatura sit, ne quid contra testatam Nobis confidentiam vetustiori amicitiæ & bono communi decedat, quod Celss. Vestr. maximopere commendamus, ut aliis rationibus omnibus anteponere insuper non habeat. Deum iteratò precantes, ut quicquid sic fecerit, felix & faustum Eidem eveniat. De cœtero Eandem assecurantes, ut quo candore commodis Celss. Vestr. El. hactenus operati sumus, eodem erga Celss. Vestr. El. deinceps simus perseveraturi. Qui, quod reliquum est Celss. Vestr. Elect. &c. Dedimus Wismariæ d. 11. Octobris 1657.

Carolus Gustavus.

---

Lit. N.

## Serenissime & Potentissime Rex, Domine cognate & Frater colendissime.

Literæ Regiæ Maj. Vestræ Wismariæ die 11. Octobris exaratæ, nobis Brombergæ eodem tempore, quo tam apud Regiam Majestatem Poloniæ quam reliquos

liquos Regni Proceres & Senatores, pacis negotium urgebamus, sunt traditæ. Ad quarum resignationem eò alacriores properavimus animo, quo certius nobis persuasum habuimus, Regiam Majestatem Vestram illis media ad pacem recuperandam esse suppeditaturam. Nam hoc Regia Majestas Vestra sibi certo de nobis polliceri potest, nos, sicuti nullum aliud unquam nobis fuit propositum, quam pacis exoptatissimæ redintegratio, inter Regna nobis vicina nostrique Status conservationi apprime necessaria, cujus solo intuitu arma nostra cum Regia Majestate Vestra olim junximus; ita quoque in hanc usq; horam omnia tentasse, quæ modo ad eam obtinendam facere nobis viderentur. Verum præter omnem *spem & expectationem accidit, ut nihil ejus generis in istis literis, sed potius mera exprobratoria deprehenderemus*, quod illo tempore quo una cum Reg. Maj. Vestr. exurgentem tempestatem unitis viribus supprimere potuissemus, Reg. Maj. Vestr. consilio spreto potius cunctari maluerimus. Et quoniam Reg. Maj. Vestr. literæ ea potissimum momenta præ se ferunt, quibus conjunctio cum Principe Transsylvaniæ fuit facta, summopere admiramur Reg. Maj. Vestr. memoriam fugere, tanta subsidia militaria submissa, quanta illa à nobis ad conjunctionem desideravit, id quod Reg. Maj. Vestr. grato etiam agnovit animo, nostram plurimis in literis promptitudinem deprædicando. Reliquam exercitus nostri partem inservire ratio belli voluit, non solum nostris regionibus atque terris, & à Reg. Maj. Vestr. occupatis Provinciis, à vi hostili muniendis, sed etiam eo destinavimus, ut à tergo Reg. Maj. Vestr. à toto hostili exercitu, qui illius vestigiis insistere properabat, tutior foret. Quemadmodum & vis ista inimica hac ratione fuit retardata, & à Reg. Maj. Vestr. ulterius persequenda, revocata. Ut silentio prætereamus tantas Cosssakorum & Hungarorum copias, quibus Reg. Maj. Vestr. tunc temporis fuit stipata, sufficientes fuisse, nisi fata alium rerum exitum voluissent, quibusvis hostium viribus conterendis, totique Poloniæ regno subjugando & expugnando. Quoniam vero Reg. Maj. Vestr. placet respicere ad tempora priora, olimq; agitata consilia, speramus Reg. Maj. V. displicere non posse, si & nos ei in memoriam revocamus, qua ratione hyeme præterita, tam ipsimet Hollandiæ, quam etiam postea per Legatos nostros Marienburgi omnes has tempestates fideliter, diligenter & sæpissime reiterando repræsentaverimus, atque eam ob causam pacis accelerationem consuluerimus, imprimis quia Rex Poloniæ tunc temporis in propinquo constitutus, ab omni fœdere & obligatione cum exteris Principibus liber fuit, & propterea tantam promptitudinem & fervorem se cum Reg. Maj. Vestr. reconciliandi contestatus est, ut etiam statim ante tractatus, cessionem Regni Sueciæ & Livoniæ obtulerit, simulque non obscure intelligendum dederit, etiam propter restitutionem Borussiæ non spernendam argenti summam posse obtineri. Quantis tunc temporis expetiverimus votis tractatum à Reg. Maj. Vestr. ineundum, in recenti ejus

 adhuc

adhuc hærebit memoria. Quod vero illa potius ad auxilia Hungarorum & Cosfakorum reflectere maluerit, illud nos Reg. Maj. Vestr. arbitrio, utpote cui directio totius negotii incumbebat, relinquere coacti fuimus. Et optavimus ut res ex Reg. Maj Vestr. voto succederent, taliaque extrema consilia alium quam suspicabamur, & nunc evenit, sortirentur exitum. Postquam igitur inchoatum bellum Polonicum à Reg. Maj. Vestr. ob novos motus hostiles fuit derelictum & illa nobis inconsultis, cum toto exercitu alio tenderit, atque imminens periculum hanc ei necessitatem imposuerit, nos plane deserendi, simulque considerato status nostri periculo, hoc suppeditaverit nobis consilium, ut quovis modo cum Polonia nos reconciliaremus securitatemque nostram quæreremus, nos quidem non solum ob desertionem factam, sed etiam ex consilio à Reg. Maj. Vestr. nobis suggesto, statim potuissemus ejusmodi inchoare tractatus, qui nunquam meliores, quam illo tempore nobis fuerunt oblati, nisi potius, quævis adversa experiri nobiscum decrevissemus, quam intempestive quicquam committere. Cum vero nuntiatum nobis fuerit, Regem Daniæ adeo caute cum suo exercitu agere, ut Reg. Maj. Vestr. impossibile esset, illum ad prælium adigere, & Senatores Statusque Regni Sueciæ reditum Reg. Maj. Vestr. ita urgere, ut nulla in Poloniam revertendi spes superesset; præterea etiam Cracovia præter omnium spem, brevi temporis spatio fuerit reddita, Exercitus Austriacus versus Borussiam properaverit; Czarneczki cum suis copiis Marchiam & Pomeraniam & Gosieroski Borussiam invaserint, nostri subditi instantissimè nos sollicitaverint, quod cum Regia Majestas Vestr. nos abitu suo fœdere liberasset, nos etiam illi non amplius insisteremus; & deinde nulla plane spes reliqua fuerit à Regia Majestate Vestra in omnibus illis locis unicum nobis sufficiens subsidium missum iri.

Tandem Nobis Nostroque statui aliter consulere non potuimus, quam ut auxiliante Numine Divino, in Pacem cum Polonia rediremus, id quod etiam jamdudum Reg. Maj. Vestr. uberius in literis nostris indicavimus; Quare verò illas non resignatas Reg. Maj. Vestr. nobis remittere voluerit, cum tamen idiomate & stylo hactenus inter nos sæpius consueto fuerint conceptæ, suo loco nos oportet relinquere.

Quod de nobis Dn. Comes de Slippenbach Reg. Maj. Vestr. significavit, quasi exercitũ nostrum eũ in finẽ in Imperium Romano-Germanicum reduceremus, ut ibi Reg. Maj. Vestr. nos associaremus, & Domum Austriacam hostiliter aggrederemur, nescimus ex quo fundamento hæc ille retulerit; nam prætérquam quod ille hæc à nobis nomine Reg. Maj. Vestr. desideravit, talia nobis nunquam in mentem alias venerunt, Reg. Maj. Vestr. etiam facile judicare potest, quod ad ejusmodi resolutionem effectui dandam longe maturior requiratur deliberatio. Nec etiam possumus perspicere, quod in hisce securitas nostra consistat,

dum

dum hac ratione nobis, nostrisque regionibus & terris, potentiores provocamus hostes.

Quod Reg. Maj. Vestr. hoc laudabile inhæreat propositum, nostri Status accessionem ampliorem procurandi, id gratissimo agnoscimus animo, si etiam Reg. Maj. Vestr. retro recordetur quæ in illius emolumentum præstiterimus, & quæ mala & incommoda nostræ Provinciæ propterea pessæ, non est quod dubitemus de ejusmodi Reg. Maj. Vestr. proposito. Nos vero Reg. Maj. Vestr. celare non possumus, Dn. Comitem de Slippenbach non solum fere toties quoties nobiscum fuit, nomine Reg. Maj. Vestr. ducatum Borussiæ à nobis prætendisse, sed etiam ultima vice Regiomonti, instantissime hanc permutationem ursisse, inter alias etiam allegando rationes, quæ harum fere impressionum ansam nobis dederint, quasi esset quædam impossibilitas, quod Regio aut Provincia quæ Reg. Maj. Vestr. ejusque Statui esset situ commoda & opportuna, posset retineri. Quemadmodum autem Reg. Maj. Vestr. amplissima Regna, & quod præterea Deus ei largitus est, non invidemus: ita certi sumus, eundem animum Reg. Maj. Vestr. futurum. Cæterum animitus optamus, ut Deus Ter Opt. Maximus. Reg. Maj. Vestr. eas inspirare velit cogitationes & consilia, quibus pax tam desideratissima conservari queat, & Reg. Maj. Vestr. ad literas hasce junctas talem nobis transmittere moveatur declarationem, ut Pacis telam cum Polonis cœptam, communi bono promovendo, malisque futuris præveniendis & avertendis pertexere, Deo annuente valeamus, tunc Reg. Maj. Vestr. reipsa testabimur, quod curæ cordiq; nobis semper sit Reg. Maj. Vestr. ejusq; Status conservatio. Cui de cætero prosperos optamus rerum successus, Dabantur in arce nostra Coloniæ ad Spream die 12. Nov. 1657.

Fridericus Wilhelmus
Elector.
Reg. Maj. Vestr.
Cognatus & Frater studiosissimus.

---

*Lit. N.*

## Serenissime & Potentissime Rex
### Dn. Cognate & Frater colendissime.

PErspiciet Reg Vestr. Majestas ex annexis literis, quibus de caussis cum Rege, Regnoque Poloniæ, Tractatus, rerum statu id ita postulante, inivimus. Equidem optassemus, ut omnia alio, prosperiorique eventu donari potuissent;

 verum

Verum cum ejusmodi rerum mutatio intervenerit, ut ditiones nostræ, Polonorum undique direptioni & desolationi expositæ essent, sana tandem ratio atque subditorum indesinenter repetitæ sollicitationes suaserunt eas ab interitu & ruina totali vindicare. In quam transactionem, cum Poloni non aliter condescendere voluerint, quam ut Portus Pillaviensis, & transitus per terras Nostras, tam Prussicas quam Pomeranicas copiis Reg. Maj. Vestr. occludatur, summopere eam rogatum volumus, prohibere velit, ne transitus per dictum portum Pillaviensem & ditiones Nostras in posterum ab Exercitu aut copijs Reg. Vestr. Maj. petatur aut sumatur, quippe cum satis constet quam miseræ nominatæ Ditiones Nostræ, per tales transitus & stationes, quæ nunquam secundum constitutiones Imperij institutæ aut observatæ sunt, exhaustæ atque pene ad incitas redactæ sint; confidimus Reg. Maj. Vestr. hæc omnia necessitati, quæ vitari non potuit, ad scripturam atque desiderio Nostro æquissimo locum daturum. Quam Divinæ tutelæ cum voto omnis prosperitatis commendamus. Dabantur in arce Nostra Coloniæ ad Spream, die 12. Novemb. An. 1657.

Reg Maj. Vestr.

Cognatus & Frater
studiosissimus,

Fridericus Wilhelmus
Elector.

---

*Lit. N.*

## Serenissime & Potentissime Rex
Dn. Cognate & Frater colendissime,

QUum Reg. Maj. Vestr. pronam mentem pacem cum Rege Regnoque Poloniæ ineundi sæpius declaraverit, atque idem R. Maj. Vestr. Frater Dn. Generalissimus, iteratis nonnunquam literis, cum in Prussia adhuc degeremus, testatus fuerit; Nobis nihil prius fuit, quam ut laudabile hoc institutum ad boni publici emolumentum proveheremus. Hinc Brombergæ cum Rege Poloniæ, præsentibusque ibidem Senatoribus plura, quæ rei tam necessariæ conducere videbantur

bantur

bantur, coram contulimus, Regem etiam & Senatores Pacis percupidos invenimus, hoc tantum cum dolore subinde repetentes, quod ante annum tractatus Pacis à Reg. Maj. Vestr. declinati, tam inauspicato cesserint, cum ipsi pacem serio quæsiverint, candideq; tunc professi sint, se fœdus amicitiamque Reg. Maj. Vestr. omnium Regum & Principum confœderatione longe prælaturos esse: Verum cum dicti Tractatus ob fœdera cum alijs jam contracta ab ipsis non solum dependeant, ad securitatem eorum validius imposterum stabiliendam se illos redintegrare velle aut posse, nisi prius à Reg. Maj. Vestr. sequentes conditiones firmentur, omnino negarunt: 1. Ut Regni Poloniæ confœderati simul ad hosce Tractatus invitentur, cum ijsdem unà & simul tractetur, atque Moscho etiam notificetur Tractatus universales esse instituendos, sine quibus nullos sese inituros, sancte affirmarunt. 2. Ut Reg. Maj. Vestr. scripto declaret, se neque totam Prussiam, neque partem ejus in satisfactionem postulaturam, sed post tractatus feliciter peractos, omnibus ibidem occupatis cessuram, atque omni prætensioni quocunque modo fundatæ renunciaturum. 3. Asseruerunt se absque mediatoribus, & quidem illis, qui olim Tractatibus Sueco-Polonis interfuerunt, tractare nolle. Quibus quidem quartam annexerunt, nempe ut Thorunium atque Fortalitium Haubt dictum ante tractatus in manus tertii sequestrentur, ita tamen ut tractatibus sine fructu abruptis, in priorem statum restituantur. Verum difficultatibus plurimis super hac conditione à nobis ostensis, illos tandem ab ea dimoveri posse animadvertimus. A prioribus verò se neutiquam abituros aut recessuros, constanter dixerunt.

Locum quod attinet Francofurti ad Oderam ad talem actum ob situationem vicinam commodissimum nobis visum est, in quem Poloni etiam facile consentient, modo Reg. Maj. Vestr. idem placuerit. Quamvis vero libenter expeditionem pacis accelerandæ viam hac occasione sternere annixi simus, tamen plura & commodiora impetrari tunc non potuerunt. Hæc interea Reg. Maj. Vestr. significare è re censuimus, de cujus in pacem propensa mente cum nulli dubitemus, etiam atque etiam obtestamur, velit in promotionem & restitutionem ejus serio ac celeriter incumbere, atque ab omnibus expetitum hoc dulce nomen ancipiti aleæ belli præferre, quo tandem sanguinis Christiani effusio sistatur, ruina, vastatio & confusio hinc toti Christiani orbi imminens declinetur, Barbaris aliisque nationibus spes eundem infestandi atque exstirpandi dematur, atque tot Regna & regiones hisce motibus turbatæ in pacatum statum reducantur. Præstabit hoc ipso Reg. Maj. Vestr. opus Deo T. O. M. gratissimum, sibi gloriosum & toti Christianitati maxime profuturum. Quam &c. Coloniæ ad Spream die 12. Nov. 1657.

Fridericus Wilhelmus Elector.

Lit. O.

# Nos CAROLVS GVSTAVVS, Suecorum &c.

Serenissimo & Celsissimo Principi uti Fratri Consanguineo & Amico Nostro Charissimo Dn. Friderico Wilhelmo, &c.

SErenissime & Celsissime Princeps uti Frater Consanguinee, & Amice Charissime. Redditæ Nobis sunt Cels. Vestr. Elect. literæ Coloniæ ad Spream die 12. Nov. exaratæ, quibus Cels. Vest. El. post aliquam præfationem de sua in pacis studia propensione, mox Nostras de die undecimâ Octobris Wismariæ scriptas reprehendere aggreditur, tanquam perspiceret easdem esse à pace planè alienas, & nihil aliud continentes nisi mera exprobratoria; Deinde subjungit liberalem sui beneficij & subsidii in Nobis & Provincijs Nostris tuendis commemorationem; Tum inserit quantò impendio pacis amorem tota præterita hyeme inculcaverit, tanquam ex speculâ has tempestates penitius tunc conspicata, in Nos culpam omnem transferens ejusdem pacis non confectæ, cum tam liberaliter offerretur; Tandem Cels. Vestr. El. velut abitu Nostro ex Borussiâ fœderis legibus liberata, perquam gravibus criminibus Nos onerat, quod eadem inconsulta Polonicũ bellum adeoq; Cels. Vestr. El. desideravimus, ac talis apud Nostros novos hostes facies apparere, ut revertendi Nobis spes nulla superesset; periculum vero undique Cels. Vestr. El. statui sic imminuisse, ut nisi in gratiam cum Poloniæ Rege reversa aliter Eidem consulere nequivisset. Quæ omnia in Cels. Vestr. El. literis cum alijs nonnullis admixtis uberius exponuntur. Quemadmodum Cels. Vestr. El. complacuit nomen suum hisce literis subscribere, quibus culpam à se omnem amoliri suscipiens, insimul complura Nobis objici patitur, quæ haud quaquam pro talibus agnoscere aut probare possumus, ita credimus Cels. Vestr. El. pariter æqui bonique consulere velle, si & Nos genuinam rei seriem attingentes ad singula respondendo pauca breviter regeramus. Etenim quod Cels. Vestr. El. post vindicatum sibi pacis studium Nostras de 11. Octob. datas arguat, tanquam meris *exprobrationibus refertas*, nulla certè vel causa, vel ratio subest. Scriptæ sunt ab amicissimo animo, atque in terminis modestissimis, nec alieni animi interpretem experiri statuerunt. Parum autem refert multis eo respondere, nimirum patere possunt Judicijs aliorum, qui procul affectibus rectum earum sensum assequi valent. Quæ verò beneficia Celsit. Vestr. El. enumerat Nobis à se præstita esse, non putavimus ad eam magnitudinem pervenire debuisse, ut exprobratione aliquâ facti gloriam contaminarent. Enim verò si dicendum quod res est, haud dubiè talia fuisse interpretamur, quæ si declarata non essent, Cels. Vestr. El. indiguisset pactorũ inter Nos

erectorum

erectorum favorabil interprete. Novit Celſ. Veſtr. El. in omnibus quidem (*quatria intra unius anni ſpatium inter* Nos erigebantur) pactis mutuæ ſaluti ſatis eſſe proſpectum, atque ijsdem Celſ. Veſtr. El. perpetuis fœderis vinculis ita Nobis devincitur, ut Noſtris rebus non ſecus quàm ſuis proſpicere teneatur, certæque leges de neceſſaria ope mutuum ferendâ inter Nos conditæ & ſancitæ ſunt, quibus durante bello neutri parti ſe ſubducere licebat. Videtur autem Celſ. Veſtr. Elect. velle quaſi vitio vertere, quod hanc fidei ſanctitatem ſecuta, partes debitas tunc temporis expleverit. Nos verò exiſtimamus Celſitud. Veſtr. El. in eo rectè atque ordine feciſſe, nec ſi ſecus egiſſet, culpâ omnino vacare potuiſſe. Et ſi Celſit. Veſt. El. rem ex vero æſtimare grave non duxerit, utique deprehendet, Nos, ſi non majora, certe paria ſecum feciſſe, adeò, ut inconcuſſam fidem pro communi bono ubivis quidem tenori pactorum comprobantes, loco fructus ex mutui auxilij præſtatione promanandi maximam jacturam ſenſerimus ipſimet, eo, quod non contemnenda exercitus Noſtri pars à Celſ. Veſtr. El. *copiis deſtituta & deſerta*, aut Tartarico ferro occubuit, aut miſeram in ſervitutem abducta eſt. Gravia hæc Nobis fuiſſe, vel ipſa Celſ. Veſtr. El. judicaverit, neque contra amicitiæ leges Nos peccaſſe dixerit, ſi pro tali damno gratioris memoriæ vices expectaſſemus. Evenit autem ut beneficio pariter & damno Noſtro tanquam oblivione ſepulto, ut non ſolum nulla gratia referretur, ſed ea etiam nonnunquam agerentur & committerentur, quæ mox quidem Nobis haud exiguam ſuſpicandi occaſionem dederunt, tanquam pactorum religioni neutiquam congrua, atque talia fuiſſe eventus rei poſtea docuit. Ad certiorem vero ejus memoriam conducere arbitramur ſi coram oculis Celſ. Veſtr. El. ponamus pauca quæ de tempore in tempus evenerunt, ut exinde ipſimet Celſ. Veſtr. El. facti ſpeciem tanquam in tabellâ intuenti, judicare liceat, quam parum confidentiæ, ne dicamus ſubſidij ex tali actionum ſerie Nobis promitteremus. Etenim concluſum inter Nos Regiomonti die 7. Januarij Anno 1656. pactum vix paucorum menſium ſpatio vigorem obtinere quibat, cum ſub negotiatione tractatus de ſocietate bellicâ inſtituendâ pariter flagitaretur, articulorum feudalium elucidatio, nimirum ut ſubſequentibus dehinc pactis commodius ineundis, de feudalis vinculi abolitione, velut tentamen aliquod in anteceſſum fieret, quod planè eos laterè non potuit, qui videbant quæ ſubinde miſcebantur per Georgium Maydel, & quod cum præfecto tunc etiam Gonſievio agebatur. Societatis vero legibus inter Nos erectis cum hoſtis aggrediendus eſſet, & Celſ. Veſtr. El. ſe perſuaderi paſſa eſt, ut exercitus ejus in campum contra communem hoſtem, & ad bellicas actiones educeretur, unicum quodammodo reale officium intra pugnæ Varſavienſis laborem conſtitit, quo ex antlato nihil ferè amplius præſtitum eſt, niſi quid novorum beneficiorum jactatione pelliceremur, tanquam ſolius Noſtra, non communis res ageretur.

Poſt

Post concessam verò cœlitus Varsaviensem Victoriam, bellum Polonicum cum consensu Cels. Vestræ Elector. sic ordinari cupivimus, ut usu tantæ victoriæ jam securè frueremur; sed vicerunt persuasiones Cels. Vestræ Elector. quibus compellabamur in Prussiam reverti, & quidem ea spe, quo limitibus Ducatus Celsitudinis Vestræ Electoralis nostro equitatu communitis, pedites à Cels. Vestr. Elector. ad Vistulæ ostiũ oppugnandum subministrarentur; id quod tanquam communi bono salutarius tunc temporis à Cels. Vestr. Elector. parte (Nobis consulentibus, ut sedes belli in Podlakia & Breschia constitueretur) judicabantur. Ad dictorum limitum custodiam constituta equitatus Nostri pars, ingentem quidem, uti superius dictum est, jacturam passa est. Nos vero, nec tum promissis pedestribus copijs ad dictum ostium oppugnandum potiti sumus, nec postea etiam vindicata ad Philippovam per Campi-Mareschallum Nostrum comitem Stenbock, qui ad tuendum flumen Niemum missus erat, Gonsievij insolentiâ, aliquas cohortes, quãquam instanter ad castigandum pariter ab alterâ parte Vistulæ Czernecziũm, & Regis exercitum flagitarentur, impetrare valuimus; prætexente semper Cels. Vest. Elector. nunc alienum anni tempus, nunc Gonscievij præsentem terrorem, cũ quo tamen & clancularia intelligentiæ initia, quæ quotidie magis magisque emanabant, facta fuisse satis constabat, ac res ipsa docuit, non sincerè nobiscum agi, cum nec Nobis hostem incommodare quærentibus, ullum auxilium submitteretur, nec tamen Cels. Vestra Elector. hosti Gonscievio quicquam hostile ab ea parte inferre sustineret. Quin gesta diu, in animo, & identidem à Nobis prius efflagitata Souveranitas, sive absoluti Principis honor, jam palam & per Legatos, tanquam ex debito urgeri ceptus est: Adeo communi rei serviendæ non modo segnior semper ratio est habita, sed etiam nuper tractata & conclusa brevissimo tempore bonâ fide stare non potuerunt, quin subinde novæ prætensiones sese proriperent, solidissimeque conventa recentibus inventis sollicitarentur. In quibus omnibus Celsitud. Vestræ Electorali tanquam Conjunctissimo amico Nostro, & eandem causam Nobiscum ex animo agere se profitenti, nihil non (sub præviâ tamen admonitione constantiæ & fidei utrinque promissorum) concessimus, ita ut cassata dicti vasallagij & feudi obligatione cum Cels. Vestr. Elect. super anteriora pacta perpetuum & indissolubile fœdus inire-mus; rati eodem fidei & saluti publicæ sic satis provisum, inprimis articulis fœderis Labiavensis 1.6.7.& 8. quibus non solum perpetua separatio Cels. Vestr. Elector. à Polonia validissimis, quæ inter Principis usurpari solent, verbis asseritur & confirmatur, & Cels. Vestr. Electoralis Nobis denuo quam arctissimè devincitur, sed etiam vis omnis tam pactorum anteriorum, quam porrò subsequentium abrogatur, quatenus contra hoc fœdus aut tunc facta, aut in posterum fieri censerentur. Ita hoc promisso freti, & tractandis modum aliquando positum iri, & summam

mam rei firmam fore Nobis pollicebamur, ſpe vero mox fruſtratis nova ſuſpicandi ratio enaſcebatur. Prohibita enim in fœdere verbis expreſſis, utrique parti omnis cum hoſte absque alterius ſcitu communicatio & correſpondentia, denuo pullulare cœpit, ita, ut præter omnem expectationem, non ſolum cum Epiſcopo Varmienſi, Clandeſtina Colloquia & Correſpondentia haberentur, & præſentis haud dubiè fundamenta effectus jacerentur; Sed etiam cum Magni Ducatus Lithuaniæ Campi Mareſchallo Gonſcievio clanculum in Noſtri præjudicium colludi cœptum eſt: deinde etiam Nobis præteritis & inconſultis Armiſtitia per Præfectum Aurick planè concluſa, etiam tum quando præſto eſſemus cum ſufficienti exercitu, nec neceſſitas ulla urgeret, aut ſana ratio ſuaderet. Hinc ſubſequutæ aliæ porro ſecretæ cum hoſtibus hinc inde correſpondentiæ, quibus ſenſim factum eſt, ut ſacrâ pactorum Religione irreverenter habitâ, tandem ad præſentem rerum conſtitutionem perveniretur. Etenim Nobis Principi Tranſylvaniæ cum Exercitibus in Poloniam ingreſſo obviam euntibus cum quibusdam Celſ. Veſtr. El. copijs poſt ſedulam ſubſidiorum ſollicitationem huic expeditioni ſuppeditandorum Comes de Waldeck quidem ſe aſſociavit, non tamen ut Nobis adhæreret, ſed mandatis inſtructus erat, ut in Poloniam majorem ſe conferret, quæ mandata ſæpius iterabantur, adeò ut non niſi ægrè illum apud Nos aliquamdiu retinere potuerimus. Petricoviam verò in poteſtatem redactam ſecundum pacta Celſ. Veſtr. Elect. tradidimus, cum verò, conjunctione factâ, ea rerum facies eſſet, ut meliora quævis ſperaremus, & unicuique quem bellum Polonicum Nobiscum contingebat, incumberet providere, ut occaſione ſe exhibente, illud ad optatum exitum perduceretur, ac partium omnium ſecuritati ſtabiliendæ & periculi avertendi certa ratio meritò iniretur, ad Nos potiſſimum pertinere exiſtimavimus, ut Celſ. Veſtr. El. aperiremus quatenus ipſimet conſultiſſimum duceremus rei communis bellicas actiones in futurum deberi inſtitui, nimirum ut Comes de Waldeck cum ſibi adjunctis legionibus nonnullis Noſtris cohortibus ſuffultus, ab alterâ parte Viſtulæ verſus Poloniã majorem; Nos vero acceptis à Celſ. Veſtr. El. aliquot copiis inter flumen Bugum & dictam Viſtulam bellum gereremus, quorum altero Celſ. Veſtr. El. Exercitus ſupplantato ab eo Poloniæ latere hoſte, in quartirijs ejusdem locupletari potuiſſet; altero Nos quoque communi-cauſſæ providiſſemus & Provincias Celſ. Veſtr. El. armis Noſtris ab eâ parte ſatis protexiſſemus. Quo nomine cum Celſ. Veſtr. El. ſatis ſufficientes copias ad reſiſtendum Samogithis præterea haberet, eandem primum quidem literis, deinde etiam, ut Intentio Noſtra melius conſtaret, miſſo ejus cauſâ ex Podlackiâ Celſ. Veſtr. El. Conſiliario Dobrzincky decenter requiſivimus, ut Celſ. Veſtr. El. modicum ſaltem auxilium in tam ſalutarem finem commodaret: Supra ſpatium vero quatuor ſeptimanarum inter tantæ multitudinis Tranſylvaniæ Coſackorum, Moldaviæ & Wallachiæ exercitus Celſ.

Vestr. El. responsum, & cohortium aliquarum adventum nequicquam opperiebamus. Interea fama vulgata est de exercitu Austriaco in Poloniam venturo, quo audito frequentibus literis Celss. Vest. El. rerum statum exposuimus, cum admonitione maturi adversus communem hostem consilij & oppositionis flagitantes, ut relictâ domi validiori exercitus sui parte, mille duntaxat & ducentos equites ac Dimachas sive Dragonas mille quingentos nobis submittere, insuper non haberet, quibus cum nostris ac Ragocio conjunctis dubitare noluimus communi hosti occurrere & malum in herbâ cum bono Deo assopire: Celss. Vestr. El. reputavit quidem utile esse, ut talibus tempestatibus maturè ob viam iretur, quæsita tamen fuerunt sub nomine Pacis à Polonis procurandæ quævis effugia, quibus res sine fine trahebatur, subtectâ etiam ad majorem temporis intercalationem congressus & colloquii specie, tanquam magni aliquid præ manibus haberetur, & masculis omnino consilijs res agendæ essent, de quibus nostra quoque sententia rogaretur, nos hujusmodi proposito etiam confidentes, inductionibus nostris effecimus, ut Princeps Ragocius & Cosaci domum suam aliàs ire satagentes versus Masoviam & urbem Warsaviam descenderent, quibuscum etiam conjunximus Campi Mareschallum nostrum Comitem Stenbock, donec certi aliquid de resolutione Celss. Vestr. El. mutuaremur. Interea vero profluxint tempus, ac loco expectati responsi primum quidem ad aures nostras pervenit, quod Celsit. Vest. El. Armistitium cum supra dicto Gonscievio usque in mediam æstatem produxerit: Quemadmodum & ante in Lithuaniâ & circa Bresciam nobis bellum prosequentibus, Celsitud. Vestr. El. flumen Memel hostibus transituris ultrò patere permisit, cum à copijs ibidem excubantibus, facilè & prohiberi & deleri potuissent. Fixum autem Nobis fuit, si Celss. Vestr. El. secundum proposita nostra in favorem communis causæ sese declarasset, in Persona belli Polonici Administrationem, commissâ belli Danici summâ cuipiam Generalium Nostrorum ipsimet sustinere, sive postea ipsi apud exercitum in Polonia commoraturi fuissemus, sive ad tuendam Prussiam reversi per Comitem Stenbock negotia bellica in Polonia peragi curassemus. Quo ipso altememorato Principe Tran-Sylvaniæ cum introductis secum exercitibus in Polonia detento, non solum communi rei contra quoscunque ibi hostes ex voto prospici, sed etiam sufficiens Exercitus versus Daniam mitti potuisset. Cum verò quæsitis effugijs & excusationibus haud obscurè constaret, improbari à Celss. Vestr. El. quæ in usu communis causæ instituta cum Principe Ragocio fuit, conjunctionem, ac insuper Generalis Vigilium Præfectus Goetskius, qui cum manu quadam nobis obviam quidem venit, nullo tamen commodo propositi nostri, sed ut nos saltem in Prussiam conduceret, significaret cohortes Celss. Vestr. El. non posse dividi, ac juxta indicaret devitari etiam à Celss. Vestr. El. prius oblatum congressum, tum vero opinione præsumere facilè potuimus aliud

aliud agi, & spes nostras irritas fore. Visum tamen nobis fuit pro nostra persona Strasburgum concedentibus, negotium pro certiori adhuc responso iterare per comitem de Waldeck, ac quovis modo Cels. Vestr. El. persuadere, quo tanti rem momenti apud se perpendere dignaretur, & propositum nobiscum colloquium alicui effectui jungere. Cum vero in rem præsentem veniri oporteret, responsum redditum est, congressum cum Cels. Vestr. El. persona non posse ea vice fieri, saltem per deputatos negotium peragi debere. Ibi vero liquidius adhuc constabat, *mascula consilia evanuisse*, ac aliud nihil intendi, nisi ut perpetuæ moræ necterentur, unde nihil nobis subsidii pro communis rei incolumitate expectandum erat. Igitur adducti fuimus sæpius dictum Principem Ragozium (qui, nisi hujus resolutionis cunctatione in Partibus Poloniæ inferioribus detentus fuisset, subsecutum deinceps infortunium tempestivius antevertisset) & suæ salutis admonere, & irruentibus in nos simul tot hostibus, aliquem aggredi, & ea consilia capere, quæ ad conservationem nostri, rerum status, & opportuna in bello celeritas monebat. Scimus Cels. Vestr. El. cum hoc Principe nullis legibus fuisse adstrictam, interim respectu conjunctionis nostræ & communis rei, tenebatur eas rationes omnes amplecti, quæ ad communes hostes supplantandos, & mutuæ nostræ intentioni inservire potuissent. Irruente verò Daniæ rege in Provincias nostras Germanicas ac ipsi imperio ingentem tempestatem minitante, Necessitas Nobis imposita est, pro felicioribus istius belli auspiciis eò proficiscendi, præsertim cum Celsitudo Vestr. El. uti dictum est, partim cunctando, nos suspenderet, partim obturando aures ad omnia nostra salutaria proposita moram quamvis necteret, hoc fortassis animo, ut iis in locis exercitum nostrum remorata, sub clypeo ejusdem ab hoste communi meliores sibi conditiones licitaretur. Nobis igitur providendum utique fuit, ne tali cunctatione exercitus noster ob necessitatem loci aliquid pateretur, qui ut diu ibi nihil agendo subsisteret, ad Quartiri pro Præsidiis nostris exhauriendum, nec consultum nec rationi consentaneum fuit. Antè verò quam itineri nos accingeremus, non solum Cels. Vestr. El. de instituto nostro certiorem fecimus, sed etiam per Legatum Christianissimi Regis D. Avangour ac Comitem Schlippenbach rursus omnes commovendi rationes repræsentari fecimus, si fortè adhuc Cels. V. El. persuaderi posset, adjecta ulteriori adhuc oblatione nostra, ut, quanquã Ragozius Princeps abesset, nos tamẽ in Prussia ad ejus defensionẽ subsistere vellemus, si modo ad agendũ cũ hoste sicuti rationes suadebant, pro mutua salute Cels. V. El. nobiscũ concurrere sustineret: Sed cũ diversũ planè per dictũ Schlippenbach Cels. V. El. responsũ redderetur, utiq; in tali rerũ statu tempora nõ fuerunt frustra consumenda, sed urgente hoste, de itineris ingressu cogitandũ fuit. Ut tamen nihil à Nobis desideraretur, etiam circa talem rerum Statum ante Abitum insuper ea consilia viresque suppeditavimus, quæ si audita & usurpata fuis-

 sent,

ſent, utriusque quamvis abſentibus Nobis mutuæ conſervationi apprimè inſer-
viiſſent. In eum enim finem ſub ductu Celſ. Principis Fratris Noſtri non ſper-
nendas copias cum Celſ. Veſtr. El. quandocunque opus videretur, ad tuendas u-
triusque provincias, & ſuſtinendos hoſtium impetus, conjungendas reliquimus,
validiores relinquere volentes, ſi communi ſtudio a Celſ. Veſtr. El. aliqua acceſ-
ſio, ſive conſilij, ſive opis facta fuiſſet. Cum vero nulla tempori conveniens decla-
ratio impetrari poſſet, nec pro Noſtro Ducatu Boruſſiæ tam magnus equitum
numerus requireretur, utpote munitionibus ſuis freto, potiſſimam partem ad u-
ſum belli Danici quidem deduximus, ita tamen, ut mutuæ protectioni in Boruſſia
copiæ non deeſſent. Quarum etiam conjunctionem Celſ. Veſtr. Elect. à Celſiſſi-
mo fratre Noſtro poſtea flagitaſſe novimus, ſub ſpecie aggrediendi Gonſcievii,
ſed paratis & ad nutum intentis rurſum ſignificaſſe, ijs non opus eſſe, in quo non
obſcurè iterum comprobravimus Celſ. Veſtr. El. ſincerum Candorem Noſtrum
cum è contra paria rogante Celſ. Fratre Noſtro ac ſuadente, ut Noſtræ cum Celſ.
Veſtr. El. copijs apud Soldaviam, vel commodo alio loco conjunctæ, invaſiones
hoſtium in Pruſſiam arcerent, cooperatio mutuæ ſalutis à Celſ. Veſtr. El. negata
eſt. Sed hæc poſt diſceſſum Noſtrum contigerunt, cum forte eò provectus eſſet cũ
hoſte conſenſus, ut mirũ videri non deberet, ſi mutuorũ auxiliorũ ratio vileſceret.
Cum igitur Thorunij adhuc conſiſtentes informati eſſemus per Dn. Comitem
Schlippenbach de propoſiti Noſtri neglectu, ſtetit ſententia itineri verſus Holſa-
tiam Nos accingere, ne & ibi res retardata, in pejus iret. Antè vero quam Brom-
bergâ diſcederemus, ad Nos redijt Conſiliarius Celſ. Veſtr. El. Dobrzinsky, ex
quo cum ſperaremus conſilijs noſtris aliquem adhuc locum relictum iri, nihil a-
liud retulit, quam ad eum Articulum rerum Celſ. Veſtr. El. ſtatum propter nova
Daniæ & Auſtriæ bella redactum eſſe, ut abſque tractatu cum hoſte ſibi conſtare
non poſſet, nos rogans, uti Status Celſ. Veſtr. El. ſortem miſeraremur, ac pace no-
ſtra tales tractatus inſtituere liceret, ubi rurſus fortia conſilia quidem ſuggeſſi-
mus, ſed fruſtra antea deſtinatis pertinaciter inhærentibus. Tandem inſtantiſſimè
efflagitanti eidem Dobrzinskio, ac conteſtato, quod nihil in præjudicium noſtri
unquam ageretur: Fatemur affirmaſſe nos, velle connivere ſi Celſ. Veſtr. El. aliis
auxilijs planè deſtituta, in caſu ſummæ neceſſitatis ad tractatum condeſcenderet,
nihil tamen ut concluderetur tunc conſenſiſſe, quin poſtea per Dn. Comitem
Schlippenbach ſponte noſtrâ ſuffragati ſumus, ut concludendo etiam ſuæ incolu-
mitati Celſ. Veſtr. El. conſulere poſſet, hâc tamen expreſſâ lege, ut in tali conclu-
ſione nihil omnino committeretur, quod amicitiæ noſtræ adverſaretur, ex
quibus omnibus facilè patet, noſter ſincerus cum Celſ. Veſtr. El. agendi modus,
*adeoq; quam iniquè planè deſertionis à quibusdam accuſaremur.* Quod vero conſi-

lijs

Ijs nostris omnibus à tergo relictis ingenua nostra proposita & bonam intentionem insuper traducere, quibusdam volupe est, Nos non mediocriter quidem afficit, sed speramus tamen omnes de reali & sincera nostra perseveratione, erga Cels. Vestr. El. informatos, secus judicaturos, nec talibus nos communis rei ordinandæ curam fideliter gerentes, obrutos esse criminibus; *quasi abitu nostro, vel Polonicum bellum, vel Cels. Vestr. El. deseruerimus*, cum etiam post discessum nostrum satis sufficientes Cels. Vestr. El. superessent copiæ, ad quemlibet hostilem impetum sustinendum, si mutuæ defensionis amor & studium accessisset, tantum quoq; abest, ut Cels. Vestr. El. pactorum legibus solverimus, aut eidem opus fuisset, ullam extremæ necessitatis speciem prævertere, quippe quæ nullibi adhuc premebat, nisi talis dicenda venit, quando consilijs justis non rectè obtemperatur, ac perversorum vel pusillanimorum lactationibus, quam fortibus propositis insistitur. Testes sunt actiones nostræ, illibati semper erga Cels. Vestr. El. animi, testantur consilia etiam nostra propitia, quæ pro belli ratione, & incidenti rerum constitutione, identidem subministravimus, quibus si locus aliquis relictus fuisset, ad confusum aliquem rerum statum res non recidisset, tum etiam copiæ adhuc in Prussia subsistentes testantur bellum Polonicum ne nunc quidem à nobis esse derelictum, nec per Dei favorem, sub cujus auspiciis militamus, usus veniet, ut nisi æquis conditionibus derelinquatur, multò minus in mentem venit ulla cogitatio Cels. Vestr. El. deserenda, cujus salutem vigore fidei inter nos mutuum stabilitæ, cæteris alijs anteposuimus, & quidem eo firmo proposito, ut sicubi necessitas aliqua juberet; jactis prius cum spe alicujus successus belli Danici initijs, in Prussiam idonea manu reverteremur, aut ab hac parte alicubi secundum declarationem Comiti Schlippenbach datam ( ut literarum ad nos exemplum sub Num. I. monstrat ) junctis tempestive nostris cum Cels. Vestr. El. copiis, omnem tempestatem quæ prænaturè nimis timeri cœpta est, averteremus, simul Cels. Vestr. El. reditum in Germaniam aut periculum aliquod suum Nobis significare non gravata fuisset. Sed evenit, ut priusquam aliqua necessitas appareret, aut eidem si ingrueret, justa, & quidem tempestiva remedia flagitarentur, nobis innotesceret, Cels. Vestr. El. inconsulto fido belli socio tractatus cum hoste communi, non tantum instituisse, sed etiam eosdem solenniter perfecisse. Quorum maximè instigationibus hoc factum sit, nihil attinet scrupulosè inquirere. Nobis non incognitus est Cels. Vestr. El. candor animi & integritas, quam magni omnino facimus, sicuti semper fecimus, & cui nostrum quoque erga Cels. Vestr. El. sincerum studium, pro illo quo eandem complectimur amore, nunquam non comprobare vicissim annitemur. Dolemus tamen, perversis quorundam consiliorum studijs Cels. Vestr. El. nonnunquam fatigari. Nam in Cels. Vestr. El. consilio esse talem dissonantiam negari

 nequit,

nequit, apparuitque etiamtum vehementer, cum de fœdere inter Nos ineundo, non modo disputaretur acriter, sed etiam contenderetur. Quo magis displicendum est, optimè in communis rei emolumentū cogitata & statuta talibus instrumentis quandoque in transversum agi. Cum verò Cels. Vestr. El. erga commune, etiam rei Evangelicæ bonum, quod in superioribus nostris eidem commendavimus impensè, & etiamnum ardenter commendamus, inclinationem passim profiteatur suam, eam spem concipimus, suas actiones sic directuram, ut eò tamen nobiscum certatim collimet, ac quam Cels. Vestr. El. sive per necessitatem, sive aliâs inijt transactionem, eam juxta veram Neutralitatis Normam sic temperaturam, ut contra sæpius factas contestationes, nostræ amicitiæ (cui utpote certiori & antiquiori astricta est) nihil præjudicii aut detrimenti afferri patiatur. Quo intuitu vovemus, ut quam sibi Cels. Vestr. El. & suis provinciis hac transactione proposuit securitatem, ex voto assequatur; quo nobis liceat non modo de felici suo statu, cui semper favimus, eidem impensè gratulari, sed etiam occasionem reperire, qua omnibus vicinitatis & candidæ amicitiæ officijs de eo benè mereri posse videamur. Quod cum Cels. Vestr. El. Comes Schlippenbach de permutatione aliqua locutus est, per discursum quidem eum, & accidentaliter hoc fecisse affirmandum est. Interim patet Cels. Vestr. El. huic communicationi ansam dedisse, cum dictus comes non alio fine, quam ad prævertendum ostentatas difficultates, talia proposita fecerit. Novit enim, sibi expressè concreditū fuisse, ut omnem moveret lapidem quo Cels. Vestr. El. quarumvis accommodationum oblatione satisfieret, ac vinculis semper intimioribus nobis conjungeretur. Adjiciuntur hic ipsius Comitis sub N. 2. ut exinde proprius eorum sensus facilius eruatur. Tandem quod Cels. Vestr. El pacis desiderium, tanquam sibi proprium facit, eatenus ferendum arbitramur, quatenus absq; alius elevatione & injuriâ deprædicatur. A Cels. Vestr. El. amicè requirimus, velit tempora usq; ab initio belli hujus Polonici replicare atq; perpendere, an momentum aliquod bonæ occasionis præterire passi simus, quâ ad pacem honestam & tutam via complanari posset. Longum foret hoc exponere, & testantur post delusum Stetinensem conventum, tot nostri salvi conductus, in hunc finem impertiti, & ante annum etiam communi consilio à nobis editæ declarationes. Conditiones verò ante præliminarium definitionem & congressum, vel dare vel accipere visum non fuit, utpote quæ tractandi rationes præposteræ magis valent ad utriusq; animum explorandum, & nonnunquam exasperandum, etiam quam certi aliquid in publicæ rei salutem decernendum. Unde more non modò inter regna Sueciæ & Poloniæ, sed alios etiam populos solito omnium primum perfectionem præliminarium urgendam censuimus: Quarum tractatione absolutâ reliqua facilius utrinq; statui possent. Atq; qui & formam Reip. Polonæ & usum gentis non ignorant, haud quidem non immerito id à nobis

bis flagitatum dixerint; præsertim illi, qui præter insigniter editam circa deditionem Varsaviensem fidei malè servatæ infamiam, non ignorant, quid præsidio nostro ex Kracovia educto insuper intentatum sit. Campi-Mareschalli Hatzfeldii generoso animo in acceptis ferendum est, quod consentire se negabat, ut Polonorum insidiis obnoxium fieret. Ne præterea à parte nostra aliquid in salutari hoc Pacis negotio omitteremus unquam, abiturientes ex Borussiâ, huic quoq; rei in absentiâ nostrâ prospeximus, relictis inibi Commissariis, Procuratorio & æquis mandatis instructis, si contingeret aliqua pacis cura adversam teneri partem. Atq; etiam nuper abundè nos Aulæ Polonicæ in hac materia explicuimus, ita, ut si animus eorum cum literis Celf. Vestr. El. correspondeat, ambigendum neutiquam sit, quin via ad reconciliationem reperiri possit, ita ut ex hisce Celf. Vestr. El. non obscurè perspiciat, nos in eo studio haud dubie cum Celf. Vestr. El. certasse semper, in eo quoq; hodienum perseverantes, haud omissuri sumus rationem aut viam ullam eo ferentem. Faveat modo operi, qui & Pacis & belli est author, atq; animos hostium, sincera & vera tranquillitatis dulcedine imbuat, quo tandem prospero fine diuturno & funesto bello imposito, communi quoq; & Evangelicæ rei ex Sententia consulatur. Quo voto finientes Celf. Vestr. El. Divinæ protectioni commendamus, prospera quæq; ex animo apprecantes. Dedimus Wismariæ die 6. Decemb. 1657.

Carolus Gustavus.

Eduard Philipson.

Lit. P.

Nos CAROLVS GVSTAVVS Dei gratia Svecorum, Gothorum, Vandalorumque Rex, Magnus Princeps Finlandiæ, Dux Scaniæ, Esthoniæ, Careliæ, Bremæ, Verdæ, Stetini Pomeraniæ, Cassubiæ, Vandaliæ, Princeps Rugiæ, Dominus Ingriæ & Vismariæ; nec non Comes Palatinus Rheni, Bavariæ, Juliaci, Cliviæ & Montium Dux, &c. Reverendissimis, Celsissimis, Illustrissimis, Reverendis, Illustribus, Magnificis, Generosis & Spectabilibus Sacr. R. Imperii Electoribus & respectivè Vicariis, Principibus & Statibus Francofurti in Electionis & ordinariæ Deputationis negotio congregatis, Consanguineis & Amicis Nostris charissimis, & Nobis sincerè grateque dilectis, Salutem & prosperos rerum Successus.

REverendissimi, Celsissimi, Illustrissimi, Reverendi, Illustres, Magnifici, Generosi & Spectabiles S. Rom. Imperii Electores & respectivè Vicarii, Principes & Status Consanguinei & Amici Charissimi, ut & sincerè grateque dilecti. Cum ante annum præter propter post exercita clandestina Domus Austriacæ & hinc inde mixta consilia, institutasque machinationes, plane contra Instrumenti pacis Germanicæ expressas leges, sub instigatione & directione Austriaca Poloni pariter & Dani Nos, adorirentur, atque jam arma infesta Provinciis Nostris Germanicis non comminarentur modo, sed reapse inferrent, ac Rex Hungariæ Parentis destinatis insistens, Nos in Polonia aggressus easdem velut suæ absolutæ dominationi concessas, aliis præmaturè divideret, posthabita fidei pacisque publicæ, atque adeo Sacri Romani Imperij, Ejusdemque Electorum, Principum & Statuum reverentia, non aliud remedii genus reperimus, quam ut ordine expositis in Aulis passim Electorum & Principum primum per Consiliarium Nostrum & Residentem Georgium Snoilski, postea etiam Francofurti per nostrum extraordinarium Ablegatum Matthiam Biörenklovv, quæ nobis illatæ fuerunt injuriæ, Ordinarium Deputationis Conventum de præstanda Nobis, virtute & vi Instrumenti pacis, debita Guarantia compellaremus, utpote qui repræsentans universum Imperij corpus, in eum finem olim institutus fuit & superioribus Comitiis Ratisbonensibus confirmatus est, ut subitis & urgentibus Imperii periculis obviam iret, remediaque venientibus malis proportionata compararet. Ex eo tempore intelligimus quidem Nostrum Ablegatum diversis suis Memorialibus, Dilect. Vestr. & vobis tam in universum omnibus S. R. Imperii Electoribus Principibus & Statibus, quam in specie Reverendissimo & Illustrissimo Do-

mino Electori Moguntino, ac postremo, cum Consultationes Deputationis per oppositionem Austriacam frustra requirerentur, Collegio etiam Electorali occultas & manifestas Domus Austriacæ injurias Nobis factas, & pericula, quibus Imperium Romanum per licentiam & vim Austriacam facile involvi posset, pluribus exposuisse; non tamen hactenus comperimus quicquam responsi redditum, ne dum contra publicam communemque violentiam opem aut guarantiam ullam præstitam esse, id quod etiam atque etiam miramur, incerti caussæ consentire & connivere quibusdam an libeat, ad persecutionem & ruinam Nostri & Provinciarum Nostrarum, propositamque in animo inimicorum nostrorum è Germania exterminationem; an vero ita formident potentiam Domus Austriacæ, ut caussæ Nostræ justitiam, fidei religionem, pacis publicæ observantiam, & communis tranquillitatis amorem & studium, illius unius Domus avaræ dominationi & privatis rationibus anteferre non audeant? Interea bellis à Rege Hungariæ & Bohemiæ vel suscitatis vel susceptis, continua serie vexamur, nō modo extra Imperium in Polonia, sed nectuntur etiam fœdera cum quibusdam præcipuis Imperij Statibus defensiva & offensiva, imo vindicativa etiam, uti quidam Ministrorum Austriacorum jactitant; Societatesque bellicæ conduntur cum externis Regibus, adeoque mandata Imperio vacante eduntur, ad invadendum denuo Provincias Nostras in Germania sitas, & tanto sanguine & impensis Regno nostro acquisitis primo quoque tempore nos exuendum. Atque in hoc proposito adeo fixa & exasperata est Domus Austriaca, ut non solum eliminato nostro Residente ex aula Viennensi & Provincijs hæreditarijs omnem commerciorum communionem sublatam velit, sed nec conditionem deinde ullam reconciliationis ad aures vel animum admittere sustinuerit. Quæ singula immensum odium Domus istius adversus nos haud obscure ostentant, nec dubium est, quin Rex Hungariæ, simul ac corona Imperiali potitus fuerit, animo decreta, sicut in Polonia ita in Germania quoque viribus omnibus sit executurus. Cum igitur injurijs nec modus statuatur, nec remedij & compositionis locus relinquatur ullus, nec adhortatio Reverendissimi & Illustrissimi Dn. Electoris Moguntini, qui tam indefessa opera pro conservatione pacis non absque singulari suo gloriæ & laudis merito defungitur, quicquam valere & efficere possit, nec ad toties propositas à Nobis pacis redintegrandæ oblationes, nec ad memorialia Ablegati Nostri extraordinarii respondeatur quidem, in animum Nostrum aliud inducere non possumus, quam quod declinandi imminentis periculi perquam exigua spes Nobis supersit, nisi quatenus eandem necessarium aliquod defensionis præsidium forte elicuerit.

Quam graves vero rationes Nos moverint, ut hanc solicitam curam Dilect. Vestr. & Vobis frequenter significaremus, atque nunc etiam repetamus nemo ignoraverit, qui & seriem injuriarum damnorumque Nobis illatorum sensu sal-

tem

rtem communi perpendere insuper non habuerit. Satis jam diu cum ingenti Nostro & Christianæ quoque rei detrimento experti sumus internecina odia & machinationes apud alios per Domum Austriacam structas; plus etiam quam integro anno sub periculis & hostilibus incursionibus oneribusque per eandem Domum acceleratis Provinciæ Nostræ Germanicæ ingemiscunt; tempus nunc monet ut Nobis prospiciamus, eaq; media apprehendamus, quæ necessitas ipsa dictaverit, nisi eidem succumbere Nobis omnino constituendum sit. Hæc consideratio quanquam Nobis videri possit propria, tangit tamen Dilect. quoque Vestr. & Vosmet ipsos. Judicamus enim tanquam pars principalis quondam paciscens & nunc Sacr. R. Imperij Constatus, quanti intersit pericula hæc publica in tempore convenienter antevertere, quantaque consequentiæ & indaginis sit, si Domui Austriacæ licebit, etiam Imperiali dignitate nondum decoratæ, sub tempore quoque interregni, pro lubitu & impune, absque Statuum Imperij consilio & consensu, aliorum Exterorum Regum Principumque bella pro suis commodis metiri & moderari, ijsque, inconsultis Imperij ordinibus, præsertim cum eorum caussa eadem bella gerere præ se ferat, sese immiscere, remque Publicam tempestatibus committere, adeoque ea incendia in S. R. Imperij campum temere trajicere, quæ semel accensa haud fuerint absque multorum etiam innocentium incommodis extinguenda. Nos prævidentes discrimina ex talibus profectura actionibus, quanquam satis nunc monitum esse, atque Dil. Vestr. Vobisque insinuatum non dubitemus, quo in articulo pacis publicæ integritas & certitudo jam collocata est; Pro certiori tamen rei providentia, & si possibile est evitando, compositione prævia & quidem tempestiva, malo, quod in Imperij viscera serpere videtur, superfluum non duximus, gravissimæ rei caussa denuo ad Dil. Vestr. Vosque mittere Legatos nostros Plenipotentiarios, utpote supremum Cubicularium nostrum & Militiæ pedestris Chiliarchum Illustrem Nobis sincere fidelem & dilectum Dominum Nicolaum Brahe, Comitem in Visingsborgh Lib. Dn. in Cayana, Dn. in Rydboholm & Seswägen, ut & Nostrum in Ducatibus Bremensi & Verdensi Præsidem, Consiliarium Nostrum aulicum, & hactenus ad Dilect. Vestr & Vos, Ablegatum Extraordinarium Generosum Nobis sincere fidelem Matthiam Biörenklovv, Hæreditarium in Elmenhoff, Wanneſtadt & Teslingen, qui eadem rursus memorabunt ac periculi magnitudinem Dil. Vestr. Vobisque exhibebunt. Intelligent Dil. Vestr. Vosque comperietis ab ijsdem Legatis Nostris, quomodo non solum detrimenta, injurias, & sine fine contemptum passi simus, sed etiam quomodo jam perpetrata non adeo iniquo & implacabili animo feramus, dummodo à parte Austriaca, revocato ex Polonia Exercitu, rejectisque fœderibus in perniciem Nostri provinciarumque Nostrarum pactis; aliqua reconciliationis propensione, tranquillitati publicæ consulatur, pacisque Osnabrugis & Mona-

 sterij

sterij tanta sanctitate animorum stabilitæ articuli de novo redintegrentur & corroborentur, atque certa & solida Nos inter & S. R. Imperij ordines constituatur Guarantia, qua sub certis conditionibus & modo caveatur de non amplius vel Nos vel publicas pacis leges lædendo vel offendendo. Quemadmodum vero non dubitamus Dil. Vestr. Vosque ex hac Legationis Nostræ adornatione, perspicere posse, quam solicitam & necessariam curam pro tranquillitate publica geramus, ita in saluberrimi tractatus prosperiorem successum Legatos Nostros justa plenipotentia & cum Rege Hungariæ & Bohemiæ, Dil. Vestris & Vobis agendi & concludendi communivimus, ne quidquam à Nobis desiderari possit, quod paci restabiliendæ inservire videatur. Vestrarum Dil. Vestrumque nunc est, destinatis salutariter Nostris succurrere consilio, ope, autoritate vestra. Non enim nostra solum res agitur, vestra etiam haud ita procul periculo est. Atque si dimissis manibus, Dil. Vestr. Vosque curaverint negotium, credimus Dil. Vestr. Vosque posse ex memoria superioris temporis faciem & habitum Germaniæ futurum animo facile complecti. Vix enim sincera Cicatrix ijs vulneribus adhuc obducta est, utpote quæ post deposita Succiæ arma, vehementer refricaverat Domus Austriaca, ubicunque sibi commodum judicavit. Non indiget ergo Germania externis pro Magistro exemplis, domi exactum habuit monitorem, qui etiamnum cum vigore quodam eandem hortari possit ad conspicandum Arma Austriaca sanguine olim Germaniæ madentia, & seros intutosq; pacis fructus inde subnatos, atque per hoc animari ad declinandū denuo, quod intentatur naufragium. Est res adhuc fere in portu, quamvis unius temerario conatu pelagi tempestatibus destinata. Ha- Dil. Vestr. Vosque Nostros ad manum legatos, non ad amplectendum modo, sed etiam offerendum justa, tranquillitatique publicæ conducentia media promptissimos. Habent reliquos pacis consortes in eundem scopum Nobiscum strenuè contendentes. Tempus etiam aliud vel labore ipso opportunius, vel sperando effectu subnasci nullum potest optatius, hoc ipso, quo & omnes ordines simul & Principales paciscentes partes in unum sunt congregatæ, omnes identitate voluntatis ad vulnera sananda & animorum divortia componenda. Sacri quoque Imperij Romani Collegio Electorali liberum adhuc est, uti speramus & optamus Caput Constitutionibus Imperij publicisq; pacis legibus alligandum constituere, sub quo florentissimi membra Imperij dehinc conquiescere possint. Huic saluberrimo operi promptissimos Nos Dil. Vestr. Vosque experiemini sive Ducem, sive fidum cupiatis Socium, (utpote quibus pacis germanicæ quam belli prærogativæ in gratiam Dil. Vestrarum Vestrique quondam antetulimus,) integerrima conservatione nihil est fuitque semper vel antiquius vel prius. Quod si operas & mascula Consilia adhuc contulerimus, non speramus inutiliter Nos laboraturos.

Sin vero Domus Austriaca supina obstinatione à reconciliationis, nomine abhorreat:

abhorreat, nec pacis voces pati omnino sustineat, sed per ejusdem ambitionem & iniquitatem inevitabilia pericula necessario sufferenda sint, à Dil. Vestr. Vobisque amice & benevolè contendimus, velitis Nos aliquo responso dignari, Consiliaque Vestra nobis communicare, quid circa talem rerum statum facto opus esse judicaverint; quæque auxilia à Dil. Vestr. Vobisque vigore Instrumenti pacis pro ejusdem Conservatione & provinciarum nostrarum securitate nobis promittenda sint. Quanquam enim hac Legatione effectum velimus, ut neglectæ à Nostra parte curæ studijque pacis culpam præstemus, si Consilia Nostra audita non fuerint, plurimum tamen & Nostra & Vestrarum referre arbitramur Dil.ne in incerto simus, quatenus & Imperij pax à temerarijs quorundam molitionibus custodiatur, ac præterea non ignoremus in quantum quisque juxta Conservationem ejusdem in amicitiam de hinc Nobiscum excolendam propendeat. Hæ caussæ potissimæ sunt cur novis Legatis, pluribus harum momenta rerum exposituris, Dil. Vestr. Vosque invisere necessarium duximus; requirimus autem à Dil. Vestr. & vobis amice & benevolè, ut eosdem admissos, non solum libenter audire & verbis eorum plenariam fidem habere, sed etiam sinceram & publico salutarem intentionem Nostram eò promovere connitantur, ut gravitati negotiorum conformis, & desiderijs pacificorum animorum optatus respondeat eventus, quo sub constanti Imperij securitate & tranquillitate, unicuiq; beneficio pacis tanto sanguine pretioque ante paucos annos reductæ, sibi acquisitis ditionibus absque impeditione frui & gaudere liceat. Deum animitus rogamus velit operi benedictionem & successum cælitus reddere, atque Dil. Vestr. Vobisque eam largiri mentem, animumque, quo paria Nobiscum studia conjungere, atque pacificas & salutares Cogitationes ad communem securitatis scopum fortiter dirigere queant. Quo fido voto Dil. Vestr. Vosque Divinæ protectioni commendamus. Dedimus Goteburgi die 24. Maij 1658.

Dilectionum Vestrarum
Bonus Consanguineus & amicus
& Vobis
*singulari benevolentia affectus*
Carolus Gustavus



Eduard Ehrensteyn.

FINIS.

...a polemica

Flasch von Manssfeldt Sebastiani: Augen
scheinliche Erweisung auß D. Mart
Luthers eigenen Büchern und Wo
daß er kein heiliger Prophet Teutsch
land, sondern ein rechter Unflat g
wesen. Anno 1582.